# SANCTI GREGORII PP. I MAGNI ROMANI PONTIFICIS HOMILIARUM IN EZECHIELEM PROPHETAM LIBRI DUO

## LIBER PRIMUS.

### Praefatio.

Dilectissimo fratri, Mariano episcopo, Gregorius episcopus servus servorum Dei.

Homilias quae in beatum Ezechielem prophetam, ita ut coram populo loquebar, exceptae sunt, multis curis irruentibus in abolitione reliqueram. Sed post annos octo, petentibus fratribus, notariorum schedas requirere studui, easque, favente Domino transcurrens, inquantum ab angustiis tribulationum licuit emendavi. Tua itaque dilectio has sibi ad legendum mitti poposcerat, sed valde incongruum credidi ut aquam despicabilem hauriret quem constat de beatorum Patrum Ambrosii atque Augustini torrentibus profunda ac perspicua fluenta assidue bibere. Sed rursum dum cogito quod saepe inter quotidianas delicias etiam viliores cibi suaviter sapiunt, transmisi minima legenti potiora, ut dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas avidius redeatur.

## HOMILIA PRIMA.

Prophetam expositurus sanctus Doctor de prophetiae temporibus et modis praefatur.

1. Dei omnipotentis aspiratione de Ezechiele propheta locuturus, prius debeo tempora et modos aperire prophetiae, ut dum accessus ejus ostenditur, virtus melius cognoscatur. Prophetiae tempora tria sunt,

scilicet praeteritum, praesens et futurum. Sed sciendum est quod in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit. Quia cum ideo prophetia dicta sit quod futura praedicat, quando de praeterito vel praesenti loquitur, rationem sui nominis amittit, quoniam non prodit quod venturum est, sed vel ea memorat quae transacta sunt, vel ea quae sunt. Quae tamen tria prophetiae tempora verius loquimur, si ex sacrae Scripturae testimoniis ostendamus. Prophetia de futuro est: Ecce Virgo concipiet et pariet filium (Isai. VII, 14). Prophetia de praeterito: In principio creavit Deus coelum et terram (Genes. I, 1). De illo enim tempore dixit homo quo non erat homo. Prophetia de praesenti est, quando Paulus apostolus dicit: Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta enim cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit (I Cor. XIV, 24). Cum igitur dicitur: Occulta cordis ejus manifesta fiunt, profecto monstratur quia per hunc modum prophetiae spiritus non praedicit quod futurum est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto prophetiae dicatur spiritus, qui nihil futurum indicat, sed praesens narrat? Qua in re animadvertendum est quod recte prophetia dicitur, non quia praedicit ventura, sed quia prodit occulta. Rem quippe quamlibet, sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in praesenti subtrahit causa. Ventura etenim [res occultatur in futuro tempore, praesens autem cogitatio absconditur in latenti corde. Est etiam prophetia praesens cum res quaelibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, quae tamen per spiritum denudatur. Et ibi fit praesens prophetantis animus, ubi per praesentiam non est corpus. Nam Giezi longe a propheta recesserat cum Naaman Syri munera percipiebat, cui tamen idem Propheta dicit: Nonne cor meum in praesenti erat quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi (IV Reg. V, 26)?

2. Sciendum quoque est quia prophetiae tempora invicem sibi concinunt ad probationem, ut aliquando ex futuris praeterita, aliquando vero ex praeteritis probentur futura. Dixerat enim Moyses: In principio creavit Deus coelum et terram (Genes. I, 1). Sed quis crederet quia verum de praeterito diceret, si de futuro etiam aliquid non dixisset? In ipsius etenim libri fine, in cujus exordio illa de praeterito dixerat, aliquid prophetiae per Jacob vocem de venturis permiscuit, dicens: Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium (Genes. XLIX, 10). Qui etiam per semetipsum eumdem qui mittendus erat ei quem ducebat populo prophetavit, dicens: Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Erit autem, quicunque non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo (Deut. XVIII, 15). Cur ergo praeteritis ventura permiscuit, nisi ut, dum implerentur ea quae de futuro praediceret, ostenderet etiam quia de praeterito vera dixisset?

3. Quia itaque docuimus qualiter ex futurorum prophetia probentur praeterita, restat nunc ut adhuc de sacris eloquiis ostendamus quomodo in ipso prophetiae spiritu ex praeteritis probentur futura. Certe rex Babylonicus, cum somnium vidisset (Dan. II, 2), misit ad magos et ariolos, omnesque sapientes Babyloniae convocavit, nec ab eis solummodo interpretationem somnii, sed etiam somnium quaesivit, ut nimirum ex praeterito colligeret si quid in eorum responsionibus de venturo certum teneret. Qui cum dicere nullatenus potuissent, S. Daniel deductus ad medium est, qui de interpretatione somnii, et de narratione requisitus, non solum hoc respondit quod interrogatus est, sed ipsam somnii originem replicavit, dicens: Tu, rex, caepisti cogitare in stratu tuo quid esset futurum post haec (Ibid., 29). Et paulo post: Tu, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis (Ibid., 31), et caetera. Cujus videlicet somnii

mox ut ordinem dixit, quidquid ex eodem venturum sequebatur aperuit. Pensemus ergo ordinem prophetiae. A cogitationibus venit ad somnium, a somnio pervenit ad futura. Qui ergo ipsam, ut ita dicam, radicem somnii protulit, profecto ex praeteritis probavit quam vera essent quae de futuris diceret. Prophetia autem praesentis temporis nec praeteriti attestatione indiget, nec futuri, quia cum res occulta per prophetiae verba detegitur, veritati illius res ipsa quae ostenditur attestatur.

4. Igitur quia de temporibus prophetiae tractavimus, restat ut de modis ejus ac qualitatibus aliqua disseramus. Spiritus quippe prophetiae nec semper, nec eodem modo prophetae animum tangit. Aliquando enim spiritus prophetiae ex praesenti tangit animum prophetantis, et ex futuro nequaquam tangit; aliquando ex futuro tangit, et ex praesenti non tangit. Aliquando vero ex praesenti et ex futuro tangit; aliquando autem ex praeterito, et ex praesenti, atque ex futuro pariter tangitur animus prophetantis. Aliquando tangit ex praeterito prophetiae spiritus, nec tangit ex futuro; aliquando autem tangit ex futuro, nec tangit ex praeterito. Aliquando vero in praesenti ex parte tangit, et ex parte non tangit; aliquando in futuro ex parte tangit, et ex parte non tangit. Sed haec ipsa, si possumus, eo ordine quo praemissa sunt sacrae Scripturae testimoniis ostendamus.

5. Ex praesenti enim prophetiae spiritus prophetantis animum tangit, atque ex futuro non tangit, sicut Joannes Baptista venientem Dominum videns, ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. I, 29). Sed cum jam moriturus esset, missis discipulis, requirebat, dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus (Matth. XI, 3)? In quibus verbis ostenditur quia in terris quidem venisse Redemptorem noverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet dubitabat. Ex praesenti enim per prophetiae spiritum tactus fuerat, qui

humanitatem Mediatoris videns, et divinitatem ejus intelligens, confitebatur Agnum qui peccata mundi tolleret; sed tactus ex futuro non fuerat, quia adventum illius in infernum nesciebat.

6. Aliquando vero prophetiae spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, atque ex praesenti non tangit, sicut aperte libri Geneseos historia testatur, cum Isaac Esau filium suum ad venandum misit (Genes. XXVII, 3, seq.), cui minorem filium Rebecca ad benedicendum supposuit, qui hoedinis pellibus indutus paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille minori filio tanquam majori benedictionem dedit, quaeque ei essent longe futura nuntiavit; sed quis esset qui coram se assisteret, scire non potuit. Prophetiae ergo spiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atque ex praesenti non tetigit, quando caligantibus oculis pater et ventura praedicebat, et praesentem filium nesciebat.

7. Aliquando prophetantis animum ex praesenti pariter et ex futuro tangit, quod ex eodem libro Geneseos liquido docemur (Genes. XLVIII). In illo quippe scriptum est quia cum vitae jam termino propinquaret Jacob, et duos filios suos Joseph fecit assistere, ut ex benedictione illius possent longe post futura promereri, cui majorem ad dexteram, minorem vero posuit ad sinistram (Ibid., 10). Cumque ille, oculis senectute caligantibus, nepotes suos quis prior, quisve esset minor, humano visu discernere nequaquam posset, ductis in obliquum brachiis, dexteram manum minori, sinistram majori imposuit. Quod dum corrigere filius vellet, dicens: Non ita convenit, pater, quia hic est primogenitus, audivit: Scio, fili mi, scio: et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur, sed frater ejus junior major illo erit (Ibid., 18, 19). Prophetiae ergo spiritus ex praesenti pariter et ex futuro prophetantis animum tetigit, dum Jacob et ventura nuntiabat, et eos quos corporeis oculis videre non poterat, ante se positos per spiritum discernebat. Sic Ahiae prophetae animum

prophetiae spiritus ex praesenti atque ex futuro tetigerat, cum, caligantibus oculis, eam quae se esse aliam simulabat, et uxorem Jeroboam esse cognovit, et quidquid ei futurum esset aperuit, dicens: Ingredere, uxor Jeroboam, quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius. Vade et dic Jeroboam: Haec dicit Dominus Deus Israel: Quia operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum, idcirco ego inducam mala super domum Jeroboam (III Reg. XIV, 6). Ex praesenti enim atque ex futuro pariter prophetantis animus tactus fuerat, qui et ingredientem deprehendere potuit, et ei ventura nuntiare.

8. Aliquando autem ex praeterito et ex praesenti, atque ex futuro pariter animus tangitur prophetantis, sicut Elisabeth venire ad se Mariam conspiciens quia incarnatum Verbum gestaret in utero agnovit, eamque jam Domini sui matrem vocavit, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me (Luc. I, 43)? De cujus conceptione per angelum quoque ad Joseph dicitur: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (Matth. I, 20). Quae videlicet Elisabeth dixit: Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino (Luc. I, 45). Dicens enim: Beata quae credidisti, aperte indicat quia verba angeli quae dicta ad Mariam fuerant per spiritum agnovit; atque subjungens: Perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino, quae eam etiam in futuro sequerentur praevidit. Simul ergo de praeterito et praesenti atque ex futuro per prophetiae spiritum tacta est, quae et eam promissionibus angeli credidisse cognovit, et matrem nominans, quia Redemptorem humani generis in utero portaret intellexit; et cum omnia perficienda praediceret, quid etiam de futuro sequeretur aspexit.

9. Aliquando vero prophetiae spiritus ex praeterito tangit animum, nec tangit ex futuro, sicut in Paulo apostolo aperte ostenditur, qui discipulis dicit: Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi (Gal. I, 11). Unde aliis quoque discipulis dicit: Secundum revelationem notum factum est mihi sacramentum (Ephes. III, 3). Qui tamen hoc ipsum Evangelium quod per revelationem cognoverat, cum Jerosolymam praedicaturus ascenderet, ait: Ecce ego alligatus spiritu vado in Jerusalem, quae in ea ventura sunt mihi ignorans (Act. XX, 22). Hoc quippe Evangelii sacramentum est, quia Unigenitus Patris incarnatus atque perfectus homo factus est, qui crucifixus, mortuus, et sepultus, die tertia surrexit; die quoque quadragesima ascendit in coelum, atque in dextera Patris sedet. Qui ergo per revelationem Evangelium agnovit, prophetiae spiritu de praeterito tactus est; sed quia quid pro eodem Evangelio passurus esset ignoravit, de futuro procul dubio tactus non est. Nam sic dicit: Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates protestatur mihi, dicens: Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent (Ibid., 23), aperte ostendens quia ea quae ipsi futura essent aliis de ipso revelata erant, non autem ipsi de se, sicut de illo per Agabum dicitur: Virum, cujus haec zona est ita alligari oportet in Jerusalem (Act. XXI, 11).

10. Aliquando autem prophetiae spiritus tangit ex futuro, nec tangit ex praeterito; sicut de Elisaei facto scriptum est, quia cum unus ex filiis prophetarum materiam succideret, huic ferrum securis in aquam cecidit, qui exclamavit: Heu! heu! Domine mi, et hoc ipsum mutuum acceperam. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Praecidit ergo lignum, et misit illuc, natavitque ferrum (IV Reg. VI, 5). In quo videlicet prophetae facto cognoscitur quia qui requirit ubi ceciderat quid esset facturus noverat; sed tamen cum

requirit, constat quia ubi ferrum cecidisset ignorabat. Prophetiae ergo spiritus Elisaei mentem ex futuro tetigerat, sed ex praeterito non tangebat, qui et ferrum in profundis demersum, quia revocaturus esset ad superficiem, scire potuit; sed ubi ceciderat omnino nescivit.

11. Aliquando vero prophetiae spiritus in praesenti ex parte tangit, et ex parte non tangit. Quod Petri apostoli historia testatur, cum missi ad eum a Cornelio milites ei sunt per spiritum nuntiati; scriptum quippe est: Et dixit spiritus ei: Ecce viri tres quaerunt te. Ad quos ille descendit, et requirens dixit: Quae causa est propter quam venistis (Act. X, 20)? In cujus verbis ostenditur quia eamdem causam per spiritum non audierat quam a militibus requirebat. In praesenti ergo mentem Petri spiritus ex parte tetigerat, et ex parte non tetigerat, qui et adesse milites dixit, et pro qua causa venerant tacuit.

12. Aliquando spiritus prophetiae in futuro ex parte tangit, et ex parte non tangit; sicut prophetarum filii de auferendo Elia ad Elisaeum dicunt: Nunquid nosti quia hodie Dominus tollat dominum tuum a te (IV Reg. II, 3, 5)? Quo tamen ablato, sese per diversa dispergunt, eumque in rupibus et vallibus quaerunt. In futuro ergo eorum mentem prophetiae spiritus ex parte tetigerat, et ex parte non tangebat, quando eum quem tollendum noverant non inveniendum quaerebant. Ex parte itaque tacti sunt, atque ex parte non tacti, quia et sciebant quod tolli posset, et nesciebant quod inveniri non posset. Idem quoque Elisaeus per prophetiae spiritum de futuro ex parte tactus est, et ex parte non tactus, cum regi Israel diceret: Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam (IV Reg. XIII, 18, 19). Qui itaque noverat quia toties percuteret Syriam, quoties

percussisset terram; sed cum ei diceret, Percute terram, quoties eam percussurus esset ignorabat (quippe quia et indignatus est terram tertio fuisse percussam), profecto constat quia de futuro ex parte tactus fuerat, et ex parte non tactus, qui Syriam percuti praedixit, sed terram amplius percuti voluit. Sic Samuel cum ad unguendum S. David a Domino mitteretur, respondit: Quomodo vadam? Audiet enim Saul, et interficiet me (I Reg. XVI, 2). Qui et David unxit, nec tamen a Saule occisus est. Ex parte ergo de futuro tactus prophetae animus fuerat, et ex parte non tactus, qui et unguendum S. David in regno noverat, et quia a Saule non esset occidendus ignorabat.

13. Sciendum quoque est quod prophetae quidem e proximo tanguntur, atque e longinquo minime tanguntur; alii vero e longinquo, et non tanguntur e proximo; alii autem et e longinquo, et e proximo, prophetiae spiritu tanguntur. Nam quidam tanguntur e proximo, et non e longinquo, sicut Samuel perisse asinas noverat, easque inventas esse nuntiavit, et Saul regem futurum praedicit (I Reg. IX, 15, 20); S. David quoque quia in ejus regno succederet nuntiat, sed quia pater Regis aeterni futurus sit non praedicit (I Reg. XVI, 12). Quidam vero tanguntur e longinquo, et non tanguntur e proximo, sicut idem David incarnandum Dei Unigenitum noverat, de Judaea dicens: Homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (Psal. LXXXVI, 5). Atque hunc ad coelos ascensurum, et ad Patris dexteram sessurum intelligit, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis (Psal. CIX, 1). Et tamen multa quae e vicino acta sunt minime praevidit. Ut enim pauca de multis loquar, servum Miphiboseth sibi contra suum dominum mentientem non intellexit (II Reg. XVI, 3, 4); et Amasae promittens, dicit: Haec faciat mihi Deus, et haec addat, si non magister militiae fueris coram me omni tempore pro Joab (Ibid. XIX, 13), videlicet quid sequeretur ignorans, quia Amasa idem non solum principatum militiae pro Joab non susciperet, sed etiam per Joab post paululum vitam finiret (Ibid., XX, 10). Et cum

templum Deo construere voluit, quid e vicino sequeretur nesciens, prophetam alterum requisivit (Ibid. VII, 3).

14. Quidam vero et e longinquo tanguntur et e proximo, sicut Isaias longe post futura praenuntiat, dicens: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (Isai. VII, 14). De quo rursus ait: Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis (Ibid. IX, 6). Qui etiam de Ezechia rege prophetiae spiritu tactus e vicino, quia eum de infirmitate sua surgeret praedixit, et quot annis post infirmitatem viveret nuntiavit (Ibid. XXXVIII, 5).

15. Aliquando vero prophetiae spiritus prophetis deest, nec semper eorum mentibus praesto est, quatenus cum hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere cum habent. Unde Elisaeus cum flentem Sunamitem mulierem a suis pedibus per Giezi puerum avelli prohiberet, dixit: Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi (IV Reg. IV, 27). Sic quoque cum eum Josaphat de futuris requireret, et prophetiae ei spiritus deesset, psaltem fecit applicari, ut prophetiae ad hunc spiritus per laudem psalmodiae descenderet, atque ejus animum de venturis repleret (Ibid., III, 11, 15). Vox enim psalmodiae cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentae menti vel prophetiae mysteria, vel compunctionis gratiam infundat. Unde scriptum est: Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter est quo ostendam illi salutare Dei (Psal. XLIX, 23). Quod enim Latine salutare, hoc Hebraice Jesus dicitur. In sacrificio igitur laudis fit Jesu iter ostensionis, quia dum per psalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Jesum in fine pervenitur, sicut ipse de sua ostensione loquitur, dicens: Qui diligit me, diligetur a

Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (Joan. XIV, 21). Hinc quoque scriptum est: Cantate Domino, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est ei (Psal. LXVII, 5). Ipse etenim super occasum ascendit, qui mortem resurgendo calcavit. Cui dum cantamus, iter facimus, ut ad nostrum cor veniat, et sui nos amoris gratia accendat. Quia autem prophetis prophetiae spiritus non semper adest, etiam vir Dei indicat, qui, contra Samariam missus, mala quae ei ventura erant nuntiavit (III Reg. XIII); qui, tamen, prohibitus a Domino in via comedere, prophetae falsi persuasione deceptus est (Ibid., XVIII, 19); quem fallax sermo non deciperet, si prophetiae spiritum praesentem habuisset.

16. Sciendum quoque est quod aliquando prophetae sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur; sed quia sancti sunt, per sanctum Spiritum citius correcti, ab eo quae vera sunt audiunt, et semetipsos quia falsa dixerint reprehendunt. Nathan etenim prophetam sanctum virum fuisse quis nesciat? Qui David regem et de culpa aperte reprehendit, et quae ei pro culpa eadem essent ventura nuntiavit; quem tamen dum idem David, quia templum Deo vellet construere, requisisset, illico respondit: Omne quod est in corde tuo, vade et fac, quia Dominus tecum est (II Reg. VII, 3). De quo illic statim subditur: Factum est autem in nocte illa, et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: Vade et loquere ad servum meum David. Haec dicit Dominus Deus: Nunquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum? Neque enim habitavi in domo ex die qua eduxi filios Israel de terra Aegypti usque in diem hanc (Ibid. 4). Et paulo post: Cum completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus; ipse aedificabit domum nomini meo (Ibid. 12, 13). Ecce Nathan propheta qui prius regi dixerat: Vade et fac, ipse

postmodum per prophetiae spiritum edoctus, hoc fieri non posse denuntians, et regis consiliis et suis sermonibus contradixit, quia quod ex suo spiritu dixerat, falsum fuisse deprehendit.

17. Qua in re inter prophetas veros ac falsos ista distantia est, quia prophetae veri si quid aliquando per suum spiritum dicunt, hoc ab auditorum mentibus per Spiritum sanctum eruditi citius corrigunt. Prophetae autem falsi et falsa denuntiant, et alieni a sancto Spiritu in sua falsitate perdurant.

18. Consideratis igitur prophetiae temporibus et modis, intueri libet qualiter omnipotens Deus ad provectum hominum suae irae moderamina dispensat. Israeliticus quippe populus conditori suo deliquerat, et idcirco regi Babylonio in captivitate serviebat; cum quo tamen S. Ezechiel propheta in captivitatem mittitur (Ezech. III, 11), quem divina gratia ita sibi placabilem fecerat, ut per eum ventura quaeque praediceret, et afflicti populi mentem consolari dignaretur. Consideremus ergo, si possumus, quanta est dispensatio supernae pietatis, quia sic iratus est populo suo Dominus, ut tamen omnimodo non irasceretur. Nam si iratus non esset, in captivitatem populum minime tradidisset; et si omnimodo iratus esset, electos suos in captivitatem cum illo non mitteret. Sed agit haec divina misericordia, ut ex una eademque re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea spiritualibus virtutis praestet incrementum. Cumque illos per tribulationem purgat, istos ex societate tribulantium ad majora promerenda excitat. Et sic injustis irascitur, ut tamen eorum corda per justorum consortium consoletur; ne si omni modo deserat, nullus post culpas ad veniam redeat. Tenendo igitur repellit, et repellendo tenet, quando cum his quos dijudicat simul in tribulationem mittit quos amat. Quis ista tantae pietatis viscera pensare sufficiat? Quod et culpas populi Dominus sine vindicta non deserit, et tamen delinquentem populum a

se funditus non repellit. Sic cum Moyses ad repromissionis terram exploratores duodecim misisset (Num. XIII), ex quibus cum decem postmodum desperationem populo facerent, idem populus in ira murmurationis accensus, seductum se a Domino esse conquestus est, ut ejus cadavera jacerent in deserto (Ibid., XIV); cui omnipotens Deus iratus dixit quod nullus eorum in terram repromissionis intraret (Ibid.): quo terrore compuncti, prave se egisse cognoverunt, sese in lacrymis afflixerunt, et accincti armis, protinus coeperunt contra hostes ascendere, ut repromissionis terram post lacrymas intrare potuissent (Ibid. 42). Quibus per S. Moysen Dominus dicit: Dic eis, Nolite ascendere, neque pugnetis; non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris (Deut. I, 42). Qua in re pensandum est, si cum ipsis non erat, cur eos ne caderent ascendere prohibebat? Si autem cum ipsis erat, quid est quod ait: Non enim sum vobiscum? Sed mira dispensatione disciplinae ac misericordiae, et cum ipsis erat, et cum ipsis non erat. Cum ipsis non erat ut vincerent, sed tamen cum ipsis erat ne ab hostibus perirent. O ineffabilia pietatis viscera! Culpas insequitur, et tamen peccantes protegit. Iratum se indicat, et tamen ab hostibus defendit. Sic plerumque parvulo filio delinquenti irascitur mater, reprehendit, increpat, verberat; sed si hunc in praeceps ire conspexerit, ubi in mortis periculum ruat, manum tendit et retinet, et quae sic irata verberaverat ac si non diligeret, sic diligendo retinet, ac si irata non verberasset.

19. Haec in sola praefatione colloquentes, navigii nostri quasi intra portum exercitium fecimus, ut ad indaganda prophetiae mysteria, velut in immensitatem pelagi, post vela pandamus. Quod tamen non in nostra virtute praesumimus, sed in eo qui linguas infantium facit disertas, quia spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis (Sap. I, 7). Omnipotens enim Deus, sermo Patris omnipotentis est, et qui de illo loqui concupiscimus, muti in illo nullo modo

erimus. Dabit verba utilia omnipotens Verbum, quod pro nobis incarnatum vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA II.

Prophetiae Ezechielis quinque priores versus, juxta multiplicem sensum, allegoricum praesertim et moralem exponuntur.

1. Usus propheticae locutionis est ut prius personam, tempus locumque describat, et postmodum dicere mysteria prophetiae incipiat, quatenus ad veritatem solidius ostendendam, ante historiae radicem figat, et post fructus spiritus per signa et allegorias proferat. S. Ezechiel itaque aetatis suae tempus indicat, dicens:

EZECH. I, 1.---Et factum est in tricesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis.

Locum quoque denuntians, adjungit:

IBID.---Cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt coeli, et vidi visiones Dei.

Tempus etiam insinuat, subdens:

VERS. 2.---In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin.

Qui ut bene personam indicet, etiam genus narrat, cum subditur:

VERS. 3.---Et factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi, sacerdotem.

2. Sed prima quaestio nobis oritur cur is qui nihil adhuc dixerat ita exorsus est, dicens: Et factum est in tricesimo anno. Et namque sermo conjunctionis est, et scimus quia non conjungitur sermo subsequens nisi sermoni praecedenti. Qui igitur nihil dixerat cur dicit: Et factum est, cum non sit sermo cui hoc quod incipit subjungat? Qua in re intuendum est quia sicut nos corporalia, sic prophetae sensus spiritalia aspiciunt, eisque et illa sunt praesentia quae nostrae ignorantiae absentia videntur. Unde fit ut in mente prophetarum ita conjuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant, simulque in eis fiat et intus verbum quod audiunt, et foras quod dicunt. Patet igitur causa cur qui nihil dixerat inchoavit dicens: Et factum est in tricesimo anno. Quia hoc verbum quod foris protulit illi verbo quod intus audierat conjunxit. Continuavit ergo verba quae protulit visioni intimae, et idcirco incipit dicens: Et factum est. Subjungit enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si et illud foris sit quod intus videt.

3. Hoc autem quod dicitur, quia tricesimo anno spiritum prophetiae acceperit, indicat aliquid nobis considerandum, videlicet quia juxta rationis usum doctrinae sermo non suppetit nisi in aetate perfecta. Unde et ipse Dominus anno duodecimo aetatis suae in medio doctorum in templo sedens, non docens, sed interrogans voluit inveniri (Luc. II, 46). Ut enim non auderent homines in infirma aetate praedicare, ille anno duodecimo aetatis suae interrogare homines est dignatus in terra, qui per divinitatem suam semper angelos docet in coelo. Quia enim ipse est Dei sapientia, de ipso angeli videndo vivunt hoc quod beatitudine aeterna satiantur. Quod Moyses quoque sub allegoriae mysterio admonet, dicens: Non arabis in primogenito bovis (Deut. XV, 19). Primogenitum enim bovis accipimus in infirma aetate primi nostri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non est, quia cum prima sunt adolescentiae vel juventutis nostrae tempora, nobis adhuc a praedicatione

cessandum est, ut vomer linguae nostrae proscindere non audeat terram cordis alieni. Quoadusque etenim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus, amittamus, quia et arbusta plantata si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt; at si semel radicem fixerint, manus tangit, et tamen nil officit; venti impellunt, nec tamen impellentes laedunt. Et constructi parietes si impellantur, eruuntur, nisi a suo prius fuerint humore siccati. Mens itaque quousque ab humore pravitatis suae perfecte non fuerit exsiccata, alienae linguae manu tangi non debet, ne priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plus quam tolerare valet concutitur, arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda nisi quae firma sunt. Prius etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam etsi Timotheo dicitur: Praecipe haec, et doce; nemo adolescentiam tuam contemnat (I Tim. IV, 11, 12), sciendum est quod in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocatur. Unde scriptum est: Laetare, juvenis, in adolescentia tua (Eccle. XI, 9). Propheta igitur, ut ostendatur cujus auctoritatis sit in praedicatione, aetatis solidae esse describitur, quatenus ei cum vita et spiritu omnia quae ad praedicandum congruunt concordare videantur.

4. Nec contra haec quempiam movere debet quod Jeremias (Jerem. I, 5) atque Daniel (Dan. XIII, 45) prophetiae spiritum pueri perceperunt, quoniam miracula in exemplum operationis non sunt trahenda. Omnipotens enim Deus et linguas infantium facit disertas (Sap. X, 21), et ex ore infantium atque lactentium perficit laudem (Psal. VIII, 3). Sed aliud est quod nos de doctrinae usu atque disciplina discimus, aliud quod de miraculo scimus.

5. Jam vero si quaeritur ut in ipsa quoque aetatis illius expressione mysticum aliquid designetur, absurdum non est quod propheta Dominum, quem verbis denuntiat, ipso quoque aetatis suae tempore ostendat. Anno tricesimo Ezechielis prophetae coeli aperti sunt, et vidit visiones Domini juxta fluvium Chobar, quia quasi tricesimo aetatis suae anno Dominus ad fluvium Jordanem venit. Ibi itaque coeli aperti sunt, quia Spiritus in columba descendit; vox quoque de coelo sonuit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui (Matth. III, 17).

6. Sed et ipsa Hebraea verba multum nobis ad mysterium interpretandum valent. Nam Chobar interpretatur gravitudo, vel gravitas; Ezechiel, fortitudo Dei; Buzi, despectus vel contemptus; Chaldaei, captivantes, vel quasi daemones. Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar; quia enim Chobar gravitudo, vel gravitas dicitur, quid per Chobar fluvium, nisi humanum genus congrue designatur? Quod ab ortu defluit ad mortem, et grave sibi est ex peccatis, quae et perpetrat et portat, quia, sicut scriptum est: Iniquitas in talentum plumbi sedet (Zach. V, 7). Omne enim peccatum grave est, quia non permittit animam ad sublimia levari. Unde et per Psalmistam dicitur: Filii hominum, usquequo gravi corde (Psal. IV, 3)? Scriptum vero de Domino est, Quia ipse est Dei virtus, et Dei sapientia (I Cor. I, 18). Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar, quia fortitudo Dei per incarnationis suae mysterium propinquare dignata est peccatorum suorum pondera portanti generi humano, quod ab ortu suo quotidie defluit ad mortem, sicut de illo per Psalmistam dicitur: Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (Psal. I, 3). Juxta decursus quippe aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum. Ezechielem autem fortitudinem Dei, Buzi vero despectum interpretari diximus. Sed Ezechiel filius est Buzi, quia ex illo populo unigenitus Dei incarnari dignatus est, quem propter culpam perfidiae Dominus despexit. Fortitudo ergo Dei ex

contemptu, vel despectu nascitur, quia Redemptor noster humanitatem assumere ex populo perfido et contempto dignatus est. Venit vero in terram Chaldaeorum. Chaldaei interpretantur, ut diximus, captivantes, vel quasi daemones. Iniqui etenim, quia et ipsi iniquitates perpetrant, et ad iniquitatem alios persuadendo trahunt, nimirum captivantes sunt. Qui recte quoque et quasi daemones interpretantur, quia et hi qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium daemonum ad iniquitatem suscipiunt, quamvis daemones per naturam non sint. Venit ergo fortitudo Dei in terram Chaldaeorum, quia inter eos Unigenitus Patris apparuit qui in semetipsis ad peccatum defluxerant, et ad peccata alios captivantes trahebant. Sed expositionis sermo ad prophetae nunc personam redeat.

VERS. 3.---Et facta est super eum ibi manus Domini.

7. Manus vel brachium Domini Filius dicitur, quia per ipsum omnia facta sunt. De quo etiam Psalmista ait: Fiat manus tua ut salvum me faciat (Psal. CXVIII, 173). Manus quippe Dei quae per divinitatem non est facta, sed genita, per humanitatem facta est, ut humani generis vulnera sanaret. Ibi ergo propheta incarnationem Unigeniti agnovit, ubi super se manum Domini factam vidit. Quod vero hic subditur:

VERS. 4.---Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.

8. Intuendum nobis est quis sit in prophetae verbis ordo locutionis. Qui enim superius de se ipso dixerat: Aperti sunt coeli, et vidi visiones Dei, postea tanquam si de alio narret, adjungit: Et facta est super eum ibi manus Domini. Ac deinde quasi ad se revertitur, et dicit: Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone. Quid est hoc, quod modo Ezechiel loquitur, modo de Ezechiele? Si

per totum diceret de se, quaestio non esset. Si per totum diceret quasi de alio, nihilominus quaestio non fuisset. Quid est ergo hoc quod sic variatur sermo propheticus, ut modo Propheta de se loquatur, modo autem de ipso quasi alius loqui videatur? Sed sciendum est quia hi qui prophetiae spiritu replentur, per hoc quod aperte nonnunquam loquuntur de se, et nonnunquam sic de se verba tanquam de aliis proferunt, indicant quia non propheta, sed Spiritus sanctus loquitur per prophetam. Pro eo enim quod per ipsos sermo fit, ipsi loquuntur de se; et pro eo quod aspirante Spiritu sancto loquuntur, idem Spiritus sanctus per ipsos loquitur de ipsis, Veritate attestante quae dicit: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Matth. X, 20). Hinc etiam Moyses ait: Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra (Num. XII, 3). Qui enim non dicit eram, sed erat, profecto aperte indicat quia is qui per illum de illo loquebatur alius erat. Hinc Joannes ait: Vidit illum discipulum quem ditigebat Jesus (Joan. XXI, 20). Unde et Paulus ut non se esse qui loquebatur ostenderet, dixit: An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus (II Cor. XIII, 3)? Quia igitur in locutione prophetica alter est qui praesidet, alter qui obsequitur, cum de se ipso propheta loquitur persona obsequentis est, cum vero per prophetam Spiritus sanctus loquitur de propheta, sublimitas praesidentis ostenditur. Recte ergo et tanquam de alio dicitur: Et facta est super eum ibi manus Domini; et de se protinus adjungit: Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone. Nunc itaque discutiendum nobis est quid sit quod dicit: Et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna.

9. Pro eo quod ventus Aquilo constringit in frigore, non incongrue Aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur. Quod Isaias quoque propheta testatur, qui dixisse diabolum denuntiat: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis (Isai. XIV, 13). Malignus enim spiritus montem testamenti tenuit, quia Judaicum

populum, qui legem acceperat, sibi in perfidiam subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, monti testamenti diabolus praesidet. Qui etiam in lateribus Aquilonis sedet, quia mentes hominum frigidas possidet. Unde et sponsi voce in Cantico canticorum dicitur: Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius (Cant. IV, 5). Cum enim, jubente Domino, frigidus spiritus recedit, calidus spiritus mentem fidelium occupat; qui hortum Dei, id est sanctam Ecclesiam perflat, ut opiniones virtutum ejus ad multorum notitiam velut aromata defluant. Recedente etenim Aquilone, id est maligno spiritu, sanctus Spiritus mentem quasi Auster replet. Qui dum calefaciendo flaverit, statim de fidelium cordibus aromata virtutum fluunt. Propheta ergo ea quae essent in finem ventura conspiciens, venire ab Aquilone ventum turbinis vidit, quia in extremo saeculi mentes hominum torporis sui frigore malignus spiritus gravius occupabit. Unde scriptum est: Vae terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet (Apoc. XII, 12). Antiquus quippe adversarius insidiarum suarum molimina in humanis mentibus gravius exaggeravit. Contra cujus excrescentem superbiam incarnati manifestata est humilitas Dei: atque ut humanum genus a suo languore sanaret, tunc magna apparuit potentia medici, cum languor crevit aegroti.

10. Bene autem maligni spiritus immissio, ventus turbinis appellatur. Turbo quippe aedificium quod tangit, concutiendo subruit. Et omnis antiqui hostis tentatio, quae agitur in mente, ventus est turbinis; quia hanc concutiendo per desideria, a statu suae rectitudinis evellit. Sed nos ista reticentes quae humano generi erunt ab hoste callido in finem ventura, ad solam Judaeam, ex qua Propheta fuit, et cujus perditionem prophetando conspicit, verba vertamus. Quae incarnato Domino tanto gravius ab Aquilone ventum turbinis pertulit, quanto a sua rectitudine concussa cadens, per torporem mentis in

perfidia frigida remansit. Ventus ergo turbinis ab Aquilone venit, cum vitam Judaici populi malignus spiritus in tentatione concussit. Ubi et recte additur:

IBID.---Et nubes magna.

11. Quia quanto plus quisque exarsit in crudelitate, tanto amplius obcaecari meruit in ignorantiae suae caligine. Redemptorem quippe humani generis, quem in lege ac prophetis intelligentes exspectaverant, videntes negabant. Unde actum est ut eorum mens magna ignorantiae suae nube tegeretur, ne hunc post inquirentes agnoscerent, quem prius et denuntiare poterant, et amare renuebant. Nam cum modo ejus virtutes et miracula, modo autem passiones conspicerent, in infidelium cordibus nubes magna ab Aquilone venerat, quia ex peccati sui frigore propter infirmitatem passionis illius et inter signa caligabant. Quid vero ex illa nubis magnae caligine sit secutum, subjungitur, cum protinus dicit:

IBID.---Et ignis involvens.

12. Ignis enim nomine, cum per significationem dicitur, aliquando Spiritus sanctus, aliquando autem mentis malitia designatur. De bono enim igne scriptum est: Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur (Luc. XII, 49). Ignis quippe in terram mittitur cum per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens a carnalibus suis desideriis concrematur. De malo autem igne dicitur: Et nunc ignis adversarios consumet (Hebr. X, 27), quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiae involvit, quia et Spiritus sanctus cor quod replet elevat, et ardor malitiae ad inferiora semper incurvat. Judaea igitur nube suae ignorantiae caecata, quia mox ad persecutionis nequitiam erupit, igne suo involuta est, quae in obligatione se nequitiae per eamdem ipsam

crudelitatem qua arsit implicavit. Ventus autem turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna, et ignis involvens, quia ex torporis sui frigore ad ignorantiae caliginem perducta, usque ad malitiam persecutionis erupit. Unde ad alium quoque prophetam dicitur: Quid tu vides? Qui illico respondit: Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis (Jerem. I, 13). Judaeorum quippe mens in persecutione saeviens, atque in crudelitate malitiae undas cogitationum volvens, quid aliud quam olla succensa fuit? Cujus facies a facie Aquilonis esse dicitur, quia si se adverso spiritui per torporem mentis non subderet, contra bonos in tanta malitia non exarsisset. Nubem itaque sequitur ignis involvens, quia in eis caecitatem mentis secuta est crudelitas persecutionis. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (I Cor. II, 8). Sed iste ignis alibi arsit, atque alibi splenduit. Nam subditur:

IBID.---Et splendor in circuitu ejus.

13. Dum enim persecutio in Judaea agitur, sancta apostolorum praedicatio in universo mundo dispersa est, sicut ipsi dicunt: Vobis missum fuerat verbum Dei, sed quia indignos vos judicastis, ecce imus ad gentes (Act. XIII, 46). De crudelitate ergo malitiae, quae mentem Judaeae concremavit, omnipotens Deus lucem gentibus sparsit, quia per hoc quod illa Redemptorem suum ac membra ejus persecuta est, sanctis apostolis per diversa dispersis, nos qui in Judaeae circuitu positi in tenebris fuimus, dono coelestis gratiae splendorem veri luminis vidimus. Unde scriptum est: Sedentibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis (Isai. IX, 2). Iste itaque ignis malitiae qui a Judaeorum cordibus arsit in persecutione, priusquam sanctos apostolos saeviendo affligeret, in ipso se exercuit auctore ac redemptore generis humani. Unde et subditur:

IBID.---Et de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis.

14. Quid electri specie, nisi Christus Jesus Mediator Dei et hominum designatur (I Tim. II, 5)? Electrum quippe ex auro et argento est. In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum vero a suo fulgore pallescit. Illud ad claritatem proficit, hoc a claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio naturae divinitatis unita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in majestatis gloriam excrevit, divinitas vero a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, per hoc quod humana natura clarior facta est, quasi per aurum crevit argentum. Et quia divinitas a fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quae in se manens innovat omnia, si ita ut est nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potius quam renovaret. Sed claritatem suae magnitudinis temperavit nostris oculis Deus, ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per ejus similitudinem in ejus luce claresceret, et per acceptam gratiam, ut ita dicam, suae habitudinis colorem mutaret. Quasi electrum ergo in igne est Deus factus homo in persecutione. Sequitur:

VERS. 5.---Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.

15. Quod in medio ejus dicitur, sive electri sive ignis, nil obstat intelligi, quia quatuor haec animalia, sancti scilicet evangelistae, et ex ejusdem Domini incarnatione ad fidei virtutem solidati sunt, et in igne persecutionis multis tribulationibus afflicti.

16. Quod si quis haec quae de primo Domini adventu diximus etiam de secundo velit accipere, celeri assensu sequendus est, quia saepe prophetiae spiritus in uno

quod loquitur multa simul intuetur. Ventus enim turbinis ab Aquilone venit, quia nimirum causa peccatorum exigit ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet. Terror enim perturbationis ultimae inde venire dicitur, unde generatur. Nam quia ad feriendas frigidas peccatorum mentes judicium perturbationis ultimae agitur, recte ab Aquilone ventus turbinis venire perhibetur. Quae videlicet concussio apte ventus turbinis dicitur, quia in illo die cunctorum qui tunc in carne mortali inventi fuerint, in pavore nimio corda commovebuntur. Cum enim coeperit impleri quod scriptum est: Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur (Matth. XXIV, 29), quae mens erit hominis aeterni Judicis sententiam non formidantis? Ibi enim tunc cuncta simul peccata ante oculos redeunt, ibi omnia quae cum delectatione acta sunt ad memoriam cum pavore revocantur, ibi caligo cogitationis miserae ex poena proximae damnationis. Unde et subditur: Et nubes magna. Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo caecitatis, cum unigenitum Dei Filium in forma divinitatis conspicere reprobi non permittuntur. Videbunt enim in quem transfixerunt (Joan. XIX, 37; Zach. XII, 10). Et, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isai. XXVI, 10). Ubi et aperte subditur: Et ignis involvens. Quia videlicet ignis ille judicii, qui coelum aereum et terram concremabit, peccatores jam in sua superbia non permittet erigi, sed involvet, quos procul dubio in poena suae damnationis confringet.

17. Et splendor in circuitu ejus. Quia sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, ita erit adventus Filii hominis (Matth. XXIV, 27). Ubi nullus tunc a judicio in sua mente latere permittitur, quia ipso judicis fulgore penetratur. De quo mox subditur: Et in medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis. Ipse enim angelis atque archangelis omnibusque virtutibus praesidens Redemptor noster, qui velut in electri

similitudinem unus ex utraque et in utraque natura et Deus permansit cum Patre, et ad redemptionem nostram factus est mortalis cum hominibus, in suo tunc terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindicta famulabitur. Hinc enim scriptum est: Dies Domini declarabit quia in igne revelabitur (I Cor. III, 13). Hinc Psalmista ait: Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit; ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (Psal. XLIX, 3). Hinc Petrus apostolus dicit: Adveniet dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transibunt, elementa vero ignis ardore solventur (II Pet. III, 10). Et quia tunc sancti omnes qui mundum perfecte reliquerunt judices veniunt, apte mox subditur:

18. Et in medio ejus similitudo quatuor animalium. Quid enim per quatuor animalia, nisi quatuor evangelistae signantur? Nec immerito per evangelistas quatuor perfectorum omnium numerus exprimitur, quia omnes qui in Ecclesia modo perfecti sunt perfectionis suae rectitudinem per eorum Evangelium didicerunt. In medio enim ejus similitudo quatuor animalium, quia illi tunc ejus corpori uniti ejus majestati conjuncti, et simul facti cum eo judices videbuntur, qui modo perfecta opera juxta Evangelica praecepta secuti sunt. Hinc est enim quod ipsis sanctis apostolis dicitur: Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. XIX, 28). Hinc Isaias ait: Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui (Isai. III, 14). Hinc Salomon de Ecclesia loquitur, dicens: Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terrae (Prov. XXXI, 23). His itaque sub brevitate transcursis, adventus primi ordinem, sicut coepimus, exsequentes, ad Evangelistarum personas in expositione redeamus. Sequitur:

VERS. 5.---Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

19. Cum paulo post sancta haec animalia singulis distincta imaginibus describantur, ut aliud homini, aliud leoni, aliud vitulo, aliud aquilae simile dicatur, quid est quod hoc loco de omnibus simul dicitur, Similitudo hominis in eis? Sed quis hoc loco homo describitur, nisi ille de quo scriptum est: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (Philip. II, 6)? Haec itaque animalia ut surgere ad sanctitatis virtutem valeant, ad hujus hominis similitudinem tendunt. Sancta enim non essent, si hujus hominis similitudinem non haberent, quia quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudine spiritus, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiae, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiae, id est a Mediatore Dei et hominum Deo Domino traxerunt. Hujus se hominis similitudinem habere egregius praedicator ostendit, dicens: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (I Cor. IV, 16). Ad ejus nos similitudinem surgere admonet, cum dicit: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de coelo descendit (I Cor. XV, 47). Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui Redemptoris imitatur. Nam ab ejus mandatis atque operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere? Plangunt autem vitam delinquentium praedicatores sancti: sed de ipso nostro capite scriptum est, quia flevit super Jerusalem (Luc. XIX, 41). Gaudent de bonis actibus subditorum, et recte operantes diligunt; sed de Redemptore nostro scriptum est quia cum adolescens quidam diceret: Haec omnia custodivi a juventute mea (Matth. XIX, 20), magis dilexit eum. Portant illatas contumelias praedicatores sancti, et nullam ad invicem

contumeliam reddunt; sed cum Redemptori nostro diceretur: Daemonium habes (Joan. VIII, 48), non injuriam reddidit, sed mansuete respondit, dicens: Ego daemonium non habeo (Ibid., 49). Fervent zelo rectitudinis praedicatores sancti; sed Redemptor omnium, flagello de resticulis facto, vendentes et ementes ejecit de templo, cathedras vendentium columbas evertit, et nummulariorum effudit aes. (Matth. XXI, 12; Joan. II, 15). In omni quod fortiter agunt, humilitatem tota intentione custodiunt; sed per Redemptorem nostrum dicitur: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde (Matth. XI, 29). Persecutores quoque suos diligunt praedicatores sancti; sed ipse, auctor omnium ac redemptor in passione positus, pro persecutoribus intercedit, dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (Luc. XXIII, 34). Membra sua ponunt in passione pro fratribus; sed pro electorum vita usque ad mortem se tradidit auctor vitae. Dicatur ergo de sanctis animalibus quod similitudo hominis in eis est, quia quod sancta, quod mira sunt, hoc in eis de specie similitudinis est, id est de virtute imitationis. Caput quippe omnium nostrum Redemptor noster est. Et per Salomonem dicitur: Oculi sapientis in capite ejus, stultus autem in tenebris ambulat (Eccle. II, 14). Tunc enim in capite oculos habemus, cum vitam Redemptoris nostri tacita cogitatione conspicimus, cum omnis nostra intentio in ejus imitationem se erigit, ne si vias lucis aspicere oculus mentis neglexerit, statim clausus in tenebris erroris cadat. Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta, cum diceret: In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas (Psal. CXVIII, 15). Qui enim vias Domini tacitus in mente considerat, et se exercere in mandatis illius festinat, quid aliud in semetipso nisi imaginem novi hominis reformat? Quod quia in sanctorum cordibus incessanter agitur, recte nunc de animalibus dicitur: Similitudo hominis in eis.

20. Post hanc vero similitudinem quae nunc in moribus tenetur, quandoque ad similitudinem gloriae

pervenitur. Hinc etenim Joannes dicit: Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus (I Joan. III, 2). Qui mox unde hoc fieri valeat adjungit dicens: Quoniam videbimus eum sicuti est (Ibid.). Esse enim Dei est aeternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur desinit esse quod fuit, et incipit esse quod non fuit; Dei vero esse, est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen dicitur: Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos (Exod. III, 14). Jacobus quoque ait: Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Jac. I, 17). Itaque per Joannem dicitur: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturae, a mutabilitate nostra liberati, figimur in aeternitate. Immutabimur quippe in ipso quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam, Mutabilitatem nostram transcendemus videndo immutabilem. Corruptione nulla tenebimur videndo incorruptum.

21. Erit autem tunc similitudo hominis etiam in corporibus nostris. Hinc etenim per Paulum dicitur: Nostra conversatio in coelis est; unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae (Philip. III, 20). Erunt ergo tunc electorum corpora claritati dominici corporis configurata, quae etsi aequalitatem gloriae ejus non habent per naturam, similitudinem tamen configurationis ejus habebunt per gratiam. Quia itaque similitudo vitae ejus nunc in moribus trahitur electorum, et in resurrectione sequitur similitudo aeternitatis in mente, quoniam videbimus eum sicuti est; et quia similitudinem quoque illius etiam corpora nostra percipient in configuratione, dicatur recte de sanctis animalibus: Similitudo hominis in eis.

Haec nos in expositionis exordio praelibasse sufficiat, ut loquendi virtus silentio refota, ad indaganda

mysteria quae sequuntur robustior exsurgat. Certi etenim sumus quia ipsum, de quo loquimur habemus adjutorem, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA III.

Exponuntur quatuor versus, a sexto ad decimum, de sanctis praedicatoribus et de duplici eorum vita, activa et contemplativa.

1. Sancta quatuor animalia quae per prophetiae spiritum futura praevidentur subtili narratione describuntur cum dicitur:

EZECH. I, 6.---Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni.

Quid per faciem nisi notitia, et quid per pennas nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque cognoscitur, per pennas vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur, sicut ipse de suis ovibus dicit: Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae (Joan. X, 14). Qui rursus: Ego scio quos elegerim (Joan. XIII, 18). Per contemplationem vero quia super nosmetipsos tollimur, quasi in aera levamur. Quatuor ergo facies uni sunt, quia si requiras quid Matthaeus de incarnatione Domini sentiat, hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas et Joannes. Si quaeras quid Joannes sentiat, hoc procul dubio quod Lucas, Marcus et Matthaeus. Si quaeras quid Marcus, hoc quod Matthaeus, Joannes et Lucas. Si quaeras quid Lucas, hoc quod Joannes, Matthaeus et Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt, quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno, quae est simul in quatuor. Quidquid enim in

uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor recte cognoscis.

2. Et quatuor pennae uni, quia Dei omnipotentis Filium Dominum nostrum Jesum Christum simul omnes concorditer praedicant, et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinent, penna ad divinitatem, quia in eo quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum atque incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aera levantur. Quia itaque et una fides incarnationis ejus in omnibus, et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte nunc dicitur: Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni. Sed quae virtus esset, si fidem atque contemplationem Domini habentes praedicatores illius sancta opera non haberent? Sequitur:

VERS. 7.---Et pedes eorum pedes recti.

3. Quid per pedes nisi gressus actuum designantur? Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur, quia sanctorum evangelistarum atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quae reliquerunt reflectuntur. De quibus scriptum est: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti (Prov. XXVI, 11; II Pet. II, 22). Dolebat de quibusdam doctor egregius, quod pedum rectitudinem retro retorserant, quibus per increpationem dicebat: Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis (Galat. IV, 9). Qui alios admonet, dicens: Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris (Hebr. XII, 12). Ut vero in eisdem sanctis praedicatoribus

vitae gravitas, fortitudo, atque discretio monstraretur, recte subjungitur:

IBID.---Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.

4. Quia enim praedicatores sancti boum nomine designantur docet Paulus apostolus, legis testimonium exponens: Non obturabis os bovi trituranti (I Cor. IX, 9; Deut. XXV, 4). In sanctis ergo praedicatoribus planta pedis est vituli, scilicet mature incedens, et fortis, et divisa, quia unusquisque praedicator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulae in discretione. Non enim facile praedicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis admittit, si discreta in intellectu non fuerit. Ecce enim sacram Scripturam legimus: si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amisimus; si omnia ad spiritalem allegoriam ducimus, similiter indiscretionis stultitia ligamur. Legunt enim sacra eloquia praedicatores sancti, et aliquando in historia litteram suscipiunt, aliquando vero per significationem litterae spiritum requirunt. Et modo bona facta patrum praecedentium, sicut juxta litteram inveniunt, imitantur; modo quaedam, quae juxta historiam imitanda non sunt, spiritaliter intelligunt, et ad provectum tendunt. Quid ergo aliud praedicatores sancti in suo opere nisi in pede ungulam findunt? De quibus adhuc apte subditur:

IBID.---Et scintillae quasi aspectus aeris candentis.

5. Aeris metallum valde sonorum est. Et recte voces praedicantium aeri comparantur, quia in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum (Psal. XVIII, 5). Bene autem aes candens dicitur, quia vita praedicantium sonat et ardet. Ardet enim desiderio,

sonat verbo. Aes ergo candens est praedicatio accensa. Sed de candente aere scintillae prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte autem praedicatorum verba scintillae appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint incendunt. Considerandum quoque est quod scintillae subtiles sunt valde et tenues, quia cum praedicatores sancti de coelesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo quantum possunt ardere desiderio. Ex eorum ergo lingua quasi quaedam ad nos scintillae veniunt, quia de coelesti patria in eorum voce vix tenue aliquid cognoscitur, quod tamen ab eis non tenuiter amatur. Neque enim coelestem gloriam aut tantum videre sufficiunt quantum est, aut tantum loqui praevalent quantum vident. Candens ergo aes scintillas projicit quando vix tenuiter praedicator loqui sufficit hoc unde ipse fortiter ignescit. Divina autem pietate agitur ut ex ipsis scintillis tenuissimis audientis animus inflammetur, quia sunt quidam qui dum parva audiunt majore desiderio replentur; et inde perfecte in Dei amore ardent, unde vix tenuissimas verborum scintillas acceperunt.

6. Verbum quippe praedicationis semen in corde audientis est. Et auditor bonus inde profert postmodum magnam messem scientiae, unde parvum prius acceperat semen linguae. Cui rei bene concinit factum in vidua ab Elisaeo propheta miraculum, quae, ne duos filios auferente creditore amitteret, prophetae dictis obedivit, et ex eo quod parum olei habebat, per vasa vacua effudit, quae cuncta post usque ad summum repleta sunt, et ex eorum repletione mulier a creditoris sui debito est soluta (IV Reg. IV, 2, seq.). Quae videlicet mulier quam aliam nisi sanctam Ecclesiam signat, duorum populorum, id est Judaici et gentilis, quasi duorum filiorum matrem? Quae prius ex perverso opere per callidi spiritus persuasionem quasi quemdam peccati nummum a creditore acceperat, et duos quos in fide genuit amittere filios timebat. Sed prophetae verbis, id est Scripturae sacrae praeceptis,

obediens, ex parvo quod habebat olei vasa vacua infudit, quia dum ab unius ore doctoris parum quid de amore Divinitatis multorum vacuae mentes audiunt, exuberante gratia, unguento divini amoris usque ad summum replentur. Et multorum jam nunc corda, quae prius fuerant vacua vascula, unguento spiritus plena sunt, quae ex paucitate olei solummodo infusa videbantur. Quod dum aliis atque aliis datur, et ab auditoribus fides accipitur, Sareptana mulier, videlicet sancta Ecclesia, sub creditoris sui jam debito non tenetur. Sequitur:

VERS. 8.---Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partes.

7. Possunt hoc in loco quatuor partes quatuor mundi regiones accipi, scilicet Oriens, Occidens, Meridies, et Septentrio, quia sanctorum praedicatio auctore Deo in cunctis mundi partibus est egressa.

8. Possumus etiam per quatuor partes principales quatuor virtutes accipere, ex quibus reliquae virtutes oriuntur, videlicet prudentiam, fortitudinem, justitiam atque temperantiam. Quas nimirum virtutes tunc veraciter accipimus, cum earum ordinem custodimus. Prima quippe prudentia, secunda fortitudo, tertia justitia, quarta temperantia est. Quid enim prodesse potest prudentia, si fortitudo desit? Scire etenim cuiquam quod non potest facere poena magis quam virtus est. Sed qui prudenter intelligit quod agat, et fortiter agit quod intellexerit, jam procul dubio justus est; sed ejus justitiam temperantia sequi debet, quia plerumque justitia, si modum non habet, in crudelitatem cadit. Ipsa ergo justitia vere justitia est, quae se temperantiae freno moderatur, ut in zelo quo quisque fervet, sit etiam temperans; ne si plus ferveat, perdat justitiam, cujus servare moderamina ignorat.

9. Duae autem sunt sanctorum praedicatorum vitae, activa scilicet, et contemplativa; sed activa prior est tempore quam contemplativa, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem. Contemplativa autem major est merito quam activa, quia haec in usu praesentis operis laborat, illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. Quid itaque per manus nisi activa, et quid per pennas nisi contemplativa vita signatur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est virtus operis sub volatu contemplationis. Quod bene in Evangelio duae illae mulieres designant, Martha scilicet et Maria. Martha etenim satagebat circa frequens ministerium; Maria autem sedebat ad pedes Domini, et verba ejus audiebat (Luc. X, 39, 40). Erat ergo una intenta operi, altera contemplationi. Una activae serviebat per exterius ministerium, altera contemplativae per suspensionem cordis in verbum. Et quamvis activa bona sit, melior tamen est contemplativa, quia illa cum mortali vita deficit, ista vero in immortali vita plenius excrescit. Unde dicitur: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea (Ibid., 42). Quia igitur activa minor est merito, quam contemplativa, recte nunc dicitur: Manus hominis sub pennis eorum. Nam etsi per activam boni aliquid agimus, ad coeleste tamen desiderium per contemplativam volamus. Unde et apud S. Moysen activa servitus, contemplativa autem libertas vocatur.

10. Et cum utraque vita ex dono sit gratiae, quandiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum ad ejus regnum ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine contemplativa ergo vita intrare possunt ad coelestem patriam, qui bona quae possunt operari, non negligunt; sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari quae possunt. Illa ergo in necessitate, haec in voluntate est. Illa in servitute, ista in libertate. Hinc est enim quod ad Moysen dicitur: Si emeris servum Hebraeum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur

liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum toli exeat. Si habens uxorem, et uxor egrediatur simul. Sin autem dederit illi dominus uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus, Diligo dominum meum, et uxorem ac liberos, non egrediar liber, offerat eum dominus diis, et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in saeculum (Exod. XXI, 2, seq.). Paulo latius testimonium dedimus, ut distinctionem servitutis atque libertatis in utraque vita monstraremus. Sed onerosum esse non debet si hoc exponendo exsequimur, unde haec ipsa quae diximus affirmemus.

11. Hebraeus enim transiens interpretatur. Et servus Hebraeus emitur quando unusquisque qui jam ab hoc saeculo mente transit servitio omnipotentis Domini subditur. Ille etenim vero Deo servire appetit, qui ab hoc saeculo mente transire didicerit. Sic S. Moyses transivit, ut videret visum (Exod. III, 3). Sic S. David cum videret impium exaltatum et elevatum super cedros Libani, transivit, et ecce non erat (Psal. LXVI, 35). Quia iniquorum potentias esse magnum aliquid fortasse credimus, nisi ad permanens saeculum mente transeamus. Servus vero Hebraeus emptus sex annis servire praecipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum nisi activae vitae perfectio designatur? quid per septenarium nisi contemplativa exprimitur? Sex ergo annis servit, et septimo egreditur liber, qui per activam vitam quam perfecte exhibuerit ad contemplativae vitae libertatem transit. Et notandum quod gratis liber egreditur, quia ii qui postquam omnia fecerint dicunt se inutiles servos (Luc. XVII, 10), eis procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat, quia omnino necesse est ut unusquisque nostrum in hoc quod incipit perseveret, atque usque ad finem operis in ea qua inchoavit intentione perduret. Ille quippe bene ad

contemplativam transit, qui in activa vita intentionis suae vestem ad deteriora non mutaverit. Et sunt nonnulli qui priusquam omnipotentis Dei servitio in sancta conversatione socientur, jam bona operari diligunt. Sunt vero alii qui bona opera, postquam ad servitium omnipotentis Dei venerint, discunt. Qui ergo operationem bonam et priusquam ad Dei servitium venerit habere studuit, Hebraeus servus cum uxore emptus est.

12. Et plerumque is qui talis est potest ad contemplativam vitam transire, et tamen activam non deserere. Unde et illic subditur: Si habens uxorem, et uxor egrediatur simul. Cum eo enim ad libertatem et uxor egreditur, quando is qui ad contemplationem pervenit etiam foris actionem boni operis qua prodesse possit aliis non relinquit. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Servo empto dominus dat uxorem, cum praedicator quisque eum quem juri omnipotentis Dei mancipaverit, bonae actioni conjungit. Nam et praedicatores domini vocantur, sicut Elisaeo prophetae de praedicatore suo dicitur: Scis quod dominus tuus tollatur a te (IV Reg. II, 3)? Uxor vero servi emptitii filios et filias parit, quando bona actio fortes vel teneros fructus generat. Sed mulier quae a domino data est eidem domino cum filiis remanet, ipse vero servus exit cum vestitu suo, quia bona actio, vel ejusdem bonae actionis fructus, praedicatoris mercedi reputantur. Ipse vero in desiderii sui intentione perdurans, per supernam gratiam ad contemplationem liber egreditur: Quod si dixerit servus, Diligo dominum meum, et uxorem ac liberos; non egrediar liber (Exod. XXI, 5). Servus dominum suum diligit, quando praedicatoris verba sollicita mente custodit. Uxorem quoque amans et liberos, liber egredi recusat, quando activam vitam ejusque fructus diligens, transire ad contemplativam non vult, quia bona se opera habere in ministerii sui servitute considerans, ad libertatis quietem recusat secedere. Sed offerat eum

dominus diis, et applicetur ad ostium et postes, et perforet aurem ejus subula, ut sit ei servus in saeculum. Is enim qui in activa disposuit vita perdurare, a domino diis offertur, quando a praedicatore suo antiquorum patrum dictis imbuitur, qui nobis in via omnipotentis Domini sacerdotes fuerunt. Atque ad ostium et postes tabernaculi ducitur, ut de ingressu coelestis habitaculi altius aliquid audiat, et tremendi judicii diem subtiliter agnoscat, ne per bona opera quae facit placere hominibus appetat. Sicque auris ejus subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate percutitur, ut, verbi acumine transfixa, per omne quod agit noverit ingressum regni semper attendere, et quasi ab ostio et poste tabernaculi perforatam aurem portare.

13. Qui erit servus in saeculum, ut esse post saeculum liber possit. In saeculum etenim servus est, qui per activam vitam hominibus servire disposuit, ut post praesens saeculum ad libertatem veram valeat pervenire. De qua per Paulum dicitur: Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Tunc enim in nobis vera libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc vero non solum activa vita in servitute est, sed ipsa quoque contemplatio, qua super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet, sed imitatur, quia illa quies intima in aenigmate videtur. Ipsa tamen in quantalibet sit contemplationis angustia, activa vita jam valde est latior atque sublimior, quae ad quamdam mentis libertatem transit, temporalia non cogitans, sed aeterna. Quia itaque contemplativa vita ad superiora evolat, et activae vitae longe superest quadam, ut ita dicam, dignitate securitatis suae, apte nunc dicitur: Et manus hominis sub pennis eorum.

14. Sin vero hoc in loco homo Redemptor noster accipitur, manus hominis sub pennis eorum est, quia nisi Deus homo fieret, qui mentes praedicantium ad coelestia

sublevasset, illa quae apparent animalia non volarent. Nec immerito manus hominis esse sub pennis dicitur, quia de eodem Redemptore nostro scriptum est: Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia (Hebr. I, 3). Ejus ergo manus corda nostra portat, ejus manus in contemplatione nos sublevat. Nisi enim, ut dictum est, omnipotens Verbum propter homines homo fieret, humana corda ad contemplandam Verbi excellentiam non volarent. Inde ergo excelsae factae sunt hominum mentes, unde inter homines apparuit humilis Deus. Dicatur itaque de sanctis animalibus, dicatur: Et manus hominis sub pennis eorum. De quibus adhuc subditur:

VERS. 8, 9.---Et facies et pennas per quatuor partes habebant, junctaeque erant pennae eorum alterius ad alterum.

15. Per quatuor partes facies et pennas habent, quia in cunctis mundi regionibus praedicantes demonstrant quidquid de humanitate, quidquid de divinitate nostri Redemptoris sentiunt. Quia dum incarnatum Deum ubique praedicant, in quatuor mundi partibus faciem demonstrant. Dumque eum esse unum cum Patre et Spiritu sancto annuntiant, ubique penna contemplationis volant. Quorum pennae junctae sunt alterius ad alterum, quia omnis eorum virtus, omnisque sapientia, qua caeteros homines contemplationis suae volatu transcendunt, vicissim sibi in pace atque unanimitate conjungitur. Unde scriptum est: Quae desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica (Jac. III, 17). Unde et eisdem suis praedicatoribus Veritas dicit: Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos (Marc. IX, 49). Penna ergo animalium alterius ad alterum jungitur, quia sanctorum praedicatorum virtus atque sapientia vicissim sibi in charitatis atque concordiae pace sociatur. Penna autem alterius ab altero divisa esset, si in

hoc quod unusquisque in sapientiam evolat, habere pacem cum altero recusaret. Sequitur:

VERS. 9.---Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.

16. Pennata animalia, videlicet praedicatores sancti, cum incedunt, minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritalia pertranseunt, ut ad ea quae reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere est mente ire semper ad meliora. Quo contra de reprobis dicitur quia reversi sunt corde in Aegyptum (Num. XIV, 3, 4). Et per semetipsam Veritas dicit: Nemo mittens manum in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei (Luc. IX, 62). Manum quippe in aratrum mittere est quasi per quemdam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis ad mala revertitur quae reliquit. Quod quia electis Dei minime contingit, recte nunc per prophetam dicitur: Non revertebantur cum incederent.

17. Qui cur non revertantur indicat cum subjungit: Unumquodque ante faciem suam gradiebatur. Ante nos enim aeterna sunt, post nos temporalia, quia et illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Unde et magnum illud pennatum animal dicebat quod usque ad coeli tertii secreta volaverat: Unum vero, quae retro sunt oblitus, in ea quae sunt ante extendens me, sequor ad palmam supernae vocationis (Philip. III, 13, 14). In anteriora etenim extentus, eorum quae retro sunt oblitus fuerat, quia, temporalia despiciens, sola quae sunt aeterna requirebat. Ante faciem ergo suam gradiuntur sancta animalia, quia et ea quae reliquerunt nullo jam appetitu respiciunt, et in aeternis quae appetunt sub contemplationis suae oculis boni operis pedem ponunt.

18. Quisquis itaque jam ante faciem suam ambulare decreverit, magna ei consideratione pensandum est quod aliter retro respicitur ex opere, atque aliter ex cogitatione. Sunt etenim quidam qui magna deliberant, et, peccatorum suorum conscii, multa ex his quae possident egenis distribuere pertractant, ut culpas suas ante Dei oculos misericordiae visceribus redimant. Jamque haec operari inchoant, et plerumque cum operantur paupertatis timor eorum animum concutit, atque, timentes ne egeant, erga egentes tenaces fiunt, seseque ab ea quam coeperunt bona operatione suspendunt. Hi nimirum incedentes reversi sunt, quia ante faciem suam ambulare noluerunt. Contra quos recte per Salomonem dicitur: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo aestate, et non dabitur ei (Prov. XX, 4). Qui enim nunc propter pavorem mentis atque torporem bene operari negligit, cum sol justitiae in judicio velut in aestate claruerit, mendicat vitam, sed non accipit, quia propter illam bona operari contempsit. Alius, despectis carnis desideriis, cuncta relinquere et omnipotentis Dei se subdere servitio pertractat, seque ipsum restringere sub continentiae et castitatis freno deliberat; sed cum cecidisse alios etiam post castitatem conspicit, hoc ipsum facere quod deliberaverat pertimescit. Fitque ut retro per cogitationem redeat, qui ad anteriora respiciens jam mentis gressibus ad alta ibat. De quo bene per Salomonem dicitur: Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet (Eccle. XI, 4). Venti quippe nomine malignus spiritus, qui mentem tentationibus impellit; nubis vero appellatione peccator exprimitur, qui tentationis impulsione commovetur. Qui ergo attendit ventum, non seminat, et qui considerat nubes, nunquam metit, quia is qui tentationes maligni spiritus metuens, et iniquorum lapsus conspiciens, semetipsum desperat, neque nunc exercetur in bono semine operis, neque post reficietur de munere justae retributionis. Sunt vero nonnulli qui bona quidem quae noverunt operantur, atque haec operantes, meliora

deliberant; sed retractantes meliora quae deliberaverant, immutant; et quidem bona agunt quae coeperant, sed a melioribus quae deliberaverant succumbunt. Hi nimirum ante humana judicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. Unde fit plerumque ut et bonum opus eorum minus Deo placeat, quia cum pes mentis in meliori gradu deliberationis inconstanter ponitur, hoc ipsa cogitationis inconstantia accusat. Sed quia perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora unquam vel in opere, vel in cogitatione delabantur, quantum quotidie proficiant incessanter pensant, recte de his dicitur: Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.

19. Inter haec igitur considerare libet nos ad ista tractanda qui sumus, et unde venimus, et usque ad quae sacri eloquii mysteria perscrutanda sublevamur. Certe in antiquis parentibus nostris cultores idolorum fuimus, sed ecce per spiritum gratiae verba jam coelestia rimamur. Unde hoc nobis? Sed implevit Redemptor humani generis quod per prophetam dixit: Et deserta in ubertatem versa advenae comedent (Isa. V, 17). Haec quippe prophetarum dicta deserta apud Judaeos fuerunt, quia per intellectum mysticum ea excolere inquirendo noluerunt. Nobis autem in ubertatem versa sunt, quia juxta historiam visionis dicta largiente Deo menti nostrae spiritaliter sapiunt, et jam advenae comedimus quae cives legis manducare noluerunt. Sint gratiae Unigenito, sit laus aeternae Sapientiae, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IV.

In explicatione versuum decimi, undecimi et duodecimi inchoati, multa praecepta moralia, praesertim

de continua in Deum intentione, et ad se attentione proponuntur.

1. Per sanctum prophetiae spiritum pennata animalia subtiliter describuntur, ut per haec Evangelistarum significari personas ipsa nobis subtilitas descriptionis aperiat, nihilque sermo Dei nostro intellectui dubietatis relinquat. Ecce enim dicitur:

VERS. 10.---Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor; et facies aquilae desuper ipsorum quatuor.

Quod enim quatuor haec pennata animalia sanctos quatuor Evangelistas designent, ipsa uniuscujusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana generatione coepit, jure per hominem Matthaeus; quia per clamorem in deserto, recte designatur per leonem Marcus; quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas; quia vero a divinitate Verbi coepit, digne per aquilam significatur Joannes, qui dicens: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. I, 1), dum in ipsam Divinitatis substantiam intendit, quasi more aquilae oculos in solem fixit. Sed quia electi omnes membra sunt Redemptoris nostri, ipse autem Redemptor noster caput est omnium electorum, per hoc quod membra ejus figurata sunt, nihil obstat si etiam in his omnibus et ipse signetur. Ipse enim unigenitus Dei Filius veraciter factus est homo; ipse in sacrificio nostrae redemptionis dignatus est mori ut vitulus: ipse per virtutem suae fortitudinis surrexit ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur, quia in ipsa morte in qua ex humanitate Redemptor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens ad coelos, in superioribus est elevatus ut aquila. Totum ergo simul nobis est, qui et nascendo homo, et moriendo vitulus, et

resurgendo leo, et ad coelos ascendendo aquila factus est. Sed quia per haec animalia evangelistas quatuor, et sub eorum specie simul perfectos omnes jam superius significari diximus (Hom. 3), restat ut quomodo unusquisque electorum istis animalium visionibus exprimitur ostendamus.

2. Omnis etenim electus atque in via Dei perfectus, et homo, et vitulus, et leo simul et aquila est. Homo enim rationale est animal. Vitulus autem in sacrificio mactari solet. Leo fortis est bestia, sicut scriptum est: Leo vero fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum (Prov. XXX, 30). Aquila ad sublimia evolat, et irreverberatis oculis solis radiis intendit. Omnis itaque qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam semetipsum ab hujus mundi voluptate mortificat, vitulus est. Quia vero ipsa sua spontanea mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, unde scriptum est: Justus autem quasi leo confidens absque terrore erit (Prov. XXVIII, 1), leo est. Quia vero sublimiter contemplatur ea quae coelestia atque aeterna sunt, aquila est. Igitur quoniam justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suae vitulus, per fortitudinem securitas leo, per contemplationem vero efficitur aquila, recte per haec sancta animalia signari unusquisque perfectus potest. Quod idcirco dicimus, ut ea quae de quatuor animalibus dicta sunt, pertinere quoque etiam ad perfectorum singulos demonstremus.

3. Sed magna nobis de eisdem evangelistis et sanctis praedicatoribus quaestio oritur, cur homo et leo a dextris ipsorum quatuor, vitulus vero a sinistris ipsorum quatuor esse perhibetur. Neque enim sine admiratione est cur duo illa a dextris et unum hoc esse a sinistris dicitur. Et rursum quaerendum cur aquila non a dextris, vel sinistris, sed desuper ipsorum quatuor esse memoratur. Duas itaque nobis quaestiones objecimus, quas oportet ut aperiente Domino dissolvamus. Homo

igitur et leo a dextris, vitulus vero a sinistris esse perhibetur. A dextris etenim laeta, a sinistris vero tristia habemus. Unde et sinistrum nobis esse dicimus hoc quod adversum esse deputamus. Et, sicut praefati sumus, per hominem incarnatio, per vitulum passio, per leonem vero auctoris nostri resurrectio designatur. De incarnatione autem unigeniti Filii, qua redempti sumus, omnes electi laetati sunt; de morte vero illius ipsi electorum primi sancti apostoli contristati, qui iterum de ejus resurrectione gavisi sunt. Quia ergo ejus et nativitas et resurrectio laetitiam discipulis praebuit, quos ejus passio contristavit, homo et leo a dextris, vitulus vero a sinistris ejus fuisse describitur. Ipsi namque evangelistae sancti de ejus humanitate gavisi sunt, de ejus resurrectione confirmati, qui de ejus passione fuerant contristati. Homo ergo et leo eis a dextris est, quia Redemptoris nostri eos incarnatio vivificavit, resurrectio confirmavit. Sed vitulus a sinistris, quia mors illius eos ad momentum temporis in infidelitate prostravit. Jure autem locus aquilae non juxta, sed desuper esse describitur, quia sive per hoc quod ejus ascensionem signat, seu quia Verbum Patris Deum apud Patrem esse denuntiat, super evangelistas caeteros virtute contemplationis excrevit; cum quibus etsi simul de ejus Deitate loquitur, hanc tamen omnibus subtilius contemplatur. Sed si aquila cum tribus aliis adjuncta, quatuor animalia esse memorantur, mirum quomodo desuper ipsorum quatuor esse describitur, nisi quia Joannes per hoc quod in principio Verbum vidit, etiam super semetipsum transiit. Nam nisi et se transisset, Verbum in principio non vidisset (Joan. I, 1). Quia ergo et semetipsum transgressus est, non jam solummodo super tria, sed adjuncto et se, super quatuor fuit. Sequitur:

VERS. 11.---Et facies eorum et pennae eorum extentae desuper.

4. Facies et pennae extentae desuper describuntur, quia omnis intentio omnisque contemplatio sanctorum

super se tendit, ut illud possit adipisci quod in coelestibus appetit. Sive enim bono operi, sive vero invigilet contemplationi, tunc veraciter hoc quod agit bonum est, quando ei complacere concupiscit a quo est. Nam qui bona agere videtur, et per haec non Deo, sed hominibus placere desiderat, intentionis suae faciem deorsum premit. Et qui idcirco in sacro eloquio ea quae divinitatis sunt contemplatur, ut per hoc quod intelligit occupari ad quaestiones possit, quia non dulcedine quaesitae beatitudinis satiari appetit, sed doctus videri, iste nimirum intellectus sui pennas desuper non extendit; sed quoniam sensus sui vigilantiam in terreno appetitu occupat, pennas quas sublevare in altum et quibus sublevari ipse potuit in imis deponit. Qua in re pensandum est, ut omne bonum quod agitur per intentionem semper ad coelestia levetur. Qui enim per bona quae facit terrenam gloriam concupiscit, pennas suas et faciem suam deorsum deprimit. Hinc etenim per prophetam de quibusdam dicitur: Victimas in profundum deferebant (Osee V, 2). Quid enim sunt aliud lacrymae orationis, nisi victimae oblationis nostrae? sicut scriptum est: Sacrificium Deo spiritus contribulatus (Psal. L, 19). Et sunt nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus sancti esse videantur. Quid isti, nisi victimas in profundum deferunt? Qui per hoc quod in imo sunt quae requirunt, orationis suae sacrificium deorsum deponunt. Electi autem qui et in bono opere omnipotenti Deo placere appetunt, et per contemplationis gratiam aeternam jam beatitudinem degustare concupiscunt, facies et pennas desuper extendunt. Sequitur:

IBID.---Duae pennae singulorum jungebantur, et duae tegebant corpora eorum.

5. Dictum fuerat: Et facies et pennae eorum extentae desuper, atque mox subjunctum est quod protulimus, quia duae pennae singulorum jungebantur. Ubi aperte

intelligitur quia et extendebantur desuper et jungebantur, duae vero tegebant corpora eorum. Quid autem pennae animalium, nisi alae nominantur? Qua in re nobis diligenti perscrutatione quaerendum est quae sint quatuor pennae sanctorum, ex quibus duae superius extensae junguntur, duae vero eorum corpora contegunt. Si enim vigilanter aspicimus, quatuor esse virtutes invenimus quae a terrenis actibus omne pennatum animal levant, in futuris videlicet amor et spes, de praeteritis autem timor et poenitentia. Pennae ergo sibimet junctae superius extenduntur, quia sanctorum mentem amor et spes ad superna sublevant. Quae apte quoque conjunctae nominantur, quia electi procul dubio et amant coelestia quae sperant, et sperant quae amant. Duae vero corpora contegunt, quia timor et poenitentia ab omnipotentis Dei oculis eorum mala praeterita abscondunt. Duae itaque, ut dictum est, pennae junguntur sursum, quando amor et spes electorum corda ad superiora elevant, ad coelestia suspendunt. Duae autem pennae tegunt corpora, quando eorum mala praeterita a conspectu aeterni judicis timor et poenitentia abscondunt. In eo enim quod se peccasse meminerunt, quia pertimescunt et deflent, quid aliud quam corpus cooperiunt? Qui facta carnalia per superducta bona opera a districto examine abscondunt. Scriptum quippe est: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. XXXI, 1). Peccata enim tegimus, cum bona facta malis actibus superponimus. Omne enim quod operitur, inferius ponitur; et hoc unde operitur, desuper ducitur. Quando ergo abdicamus mala quae fecimus, et eligimus bona quae faciamus, quasi tegimen ei rei superducimus, quam erubescimus videri.

6. Quamlibet enim sancti viri in hac adhuc vita sint, habent tamen quod ante Dei oculos operire debeant, quia omnino est impossibile, ut aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione nunquam delinquant. Unde et beatus Job, qui perfecta quidem hominibus dixerat, Dei

tamen vocem audiens, seque ipsum de ipsa sua perfecta locutione reprehendens, dicebat: Manum meam ponam super os meum (Job. XXXIX, 34). In manu quippe operatio, in ore locutio est. Manum ergo super os ponere est peccata locutionis per virtutem boni operis tegere. Libet, fratres charissimi, ad hujus rei testimonium magistrum gentium vocare, et qualiter sanctum illud animal alis quatuor innitatur aspicere, ex quibus duabus ad superiora evolat; duabus vero pennis corpus contegit, quia praeterita quae egerat abscondit. Videamus igitur quantus hunc amor ad coelestia elevet: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (Philip. I, 21). Cognoscamus quanta spe ad superiora tollitur: Nostra conversatio in coelis est, unde etiam Salvatorem exspectamus Jesum Christum Dominum nostrum (Ibid., III, 20). Videamus si et in tantis virtutibus positus adhuc timet: Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar (I Cor. IX, 27). Cognoscamus si hunc mala fecisse poenitet: Ego minimus apostolorum sum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (I Cor. XV, 9). In cujus verbis quid aliud quam duritia nostrae mentis accusatur? Quia ipse plangit quod ante baptisma commiserat, nos vero et post baptisma multa commisimus, et tamen flere recusamus. Quatuor itaque pennis sancta animalia utuntur, quia per amorem et spem ad coelestia evolant, et per timorem et poenitentiam facta in se illicita deplorant.

7. Sed quia dictum est: Duae pennae singulorum jungebantur, hoc fortasse intelligitur, quod non pennas proprias elevantes jungant, sed unius ad alterum pennae conjunctae sint, ut pennae videlicet elevatae vicissim sibi in conjunctione concordent. Qua in re quaestio oritur, quia si duae pennae quae elevant amorem et spem, duae vero quae corpora contegunt timorem et poenitentiam designant, cur duae quae extentae sunt dicuntur esse conjunctae, et duae quae corpus contegunt non dicuntur?

Sed hac in re facilis, largiente Domino, ratio occurrit, quod sanctorum duae pennae conjunctae sunt amor et spes, duae vero quae corpora contegunt, sibimetipsis ad alterutrum conjunctae non sunt, timor et poenitentia. David enim pro lapsu carnis timendo et poenitendo affligitur (II Reg. XII, 13). Petrus casum perfidiae flevit amare (Matth. XXVI, 75). Paulus in se crudelitatem praeteritae persecutionis plangit (I Cor. XV, 9). Omnes tamen unam patriam appetunt, ad unum auctorem omnium pervenire festinant. Duae ergo singulorum pennae conjunctae sunt, et duae non sunt, quia per amorem et spem unum est quod desiderant, sed per timorem et poenitentiam diversum est quod deplorant. Sequitur:

VERS. 12.---Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.

8. Dictum superius fuerat: Unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur, nunc autem dicitur: Coram facie sua ambulabat. Ipsa itaque repetita videtur esse sententia. Sed quia coram in praesenti dicimus (Id est, significat in praesenti), possumus subtilius inquirendo discernere quod aliud sit ante faciem ambulare, atque aliud in praesenti. Ante faciem quippe ambulare est anteriora appetere; in praesenti vero ambulare est sibimetipsi absentem non esse. Omnis etenim justus qui vitam suam sollicitus aspicit, et diligenter considerat quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum a bonis decrescat, iste quia se ante se ponit, coram se ambulat, quippe qui vigilanter videt utrum surgat, an defluat. Quisquis vero vitae suae custodiam negligit, discutere quae agit, quae loquitur, quae cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat; quia qualis sit in suis moribus, vel in actibus, ignorat. Nec sibimetipsi praesens est qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Ille autem

veraciter se ante se ponit, sibique in praesenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit.

9. Nam sunt multa peccata quae committimus, sed idcirco nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis, in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerumque ut et nostra gravia leviter, et proximorum mala levia graviter judicemus. Scriptum quippe est: Erunt homines seipsos amantes (II Tim. III, 2). Et scimus quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus. Ex quo fit ut hoc quod nos agimus, et grave esse non existimamus, plerumque agatur a proximo, et nimis nobis detestabile esse videatur. Sed quare hoc quod nobis vile videbatur in nobis grave videtur in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum conspicimus sicut nos? Si enim nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districte videremus. Et rursum si proximum aspiceremus ut nos, nunquam nobis ejus actio appareret intolerabilis, qui saepe fortasse talia egimus, et nil nos proximo intolerabile fecisse putabamus. Hoc male divisum mentis nostrae judicium corrigere per legis praeceptum S. Moyses studuit, cum dixit ut justus deberet esse modius, aequusque sextarius (Levit. XIX, 36). Hinc Salomon ait: Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum (Prov. XX, 10). Scimus quia in negotiatorum duplici pondere aliud majus, aliud minus est. Nam aliud pondus habent ad quod pensant sibi, et aliud pondus ad quod pensant proximo. Ad dandum pondera leviora, ad accipiendum vero graviora praeparant. Omnis itaque homo qui aliter pensat ea quae sunt proximi, et aliter ea quae sua sunt, pondus et pondus habet. Utrumque ergo abominabile est apud Deum, quia si sic proximum ut se diligeret, hunc in bonis sicut se amaret. Et si sic se sicut proximum aspiceret, se in malis sicut proximum judicaret. Debemus ergo nosmetipsos sollicite sicut alios videre, nosque ipsos, ut dictum est, ante nos ponere, ut pennata animalia incessanter imitantes, ne nesciamus quid agimus, coram

facie nostra semper ambulemus. Perversi autem, sicut paulo ante jam diximus, coram facie sua non ambulant, quia ea quae agunt nunquam considerant, ad interitum tendunt, in pravis actibus exsultant. De quibus scriptum est: Qui laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (Prov. II, 14). Saepe vero justus qui eos conspicit deflet, sed ipsi phreneticorum more planguntur, et rident.

10. Alii indigentibus de rebus propriis multa largiuntur, sed cum occasionis tempus invenerint, indigentes opprimunt, eosque quibus valuerint rapinis devastant. Ponunt ante oculos cogitationis suae bona quae faciunt, et non ponunt pessima quae committunt. Hi videlicet coram facie sua non ambulant, quia si sibimetipsis praesentes essent, cuncta subtiliter quae agunt viderent, qualiter bona opera malis actibus perdant agnoscerent, sicut scriptum est: Et qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum (Aggae. I, 6). De pertuso quippe sacculo aliunde exit quod aliunde mittitur), quia indiscretae mentes mercedem quae ex bono opere acquiritur non aspiciunt quomodo ex malo opere perdatur. Alius castitatem corporis servat, seque vigilanter circumspicit, ne quid foris reprehensibiliter admittat, suis contentus est, aliena non diripit, sed tamen in corde odium fortasse contra proximum servat. Et cum scriptum sit: Qui odit fratrem suum, homicida est (I Joan. III, 15), considerat quam sit mundus foris in opere, et non perpendit quam sit crudelis in mente. Quid iste nisi sibimetipsi absens est, qui in cordis sui tenebris ambulat et ignorat? Alius jam aliena non diripit, jam corpus ab immunditia custodit, jam mente pura proximum diligit, et malorum praeteritorum conscius lamentis se in precibus afficit; sed, finita prece, laeta de quibus in hoc mundo gaudeat requirit, et temporalibus gaudiis negligentem animum demittit, nec curat ne in eo lacrymarum mensuram immoderata gaudia transeant; fitque ut bonum nimie ridendo perdat, quod plangendo lucratus est. Hic itaque coram facie sua non ambulat, quia damna quae

patitur conspicere recusat. Scriptum quippe est: Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia (Eccle. VII, 5). In cunctis ergo quae agimus diligenter nosmetipsos conspicere interius exteriusque debemus, ut pennata animalia sequentes, nobismetipsis praesentes simus, et coram facie nostra semper ambulemus, habentes adjutorem unicum Patris Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA V.

In expositione trium versuum a duodecimo ad decimum quintum docte disseritur de Spiritu sancto ejusque in sanctis impulsu, motu et inhabitatione.

1. O quam mira est profunditas eloquiorum Dei! Libet huic intendere, libet ejus intima, gratia duce, penetrare. Hanc quoties intelligendo discutimus, quid aliud quam silvarum opacitatem ingredimur, ut in ejus refrigerio ab hujus saeculi aestibus abscondamur? Ibi viridissimas sententiarum herbas legendo carpimus, tractando ruminamus. In ea locutione quae ad vos, fratres charissimi, nudiustertius facta est qualiter ostensa animalia vel Redemptorem nostrum, vel quatuor ejus evangelistas atque perfectos omnes significent, dictum est. Quorum videlicet animalium adhuc subtilius virtus exprimitur, ut ad eorum imitationem nos quoque infirmi et despicabiles, in quantum, Domino largiente, possumus, extendamur. Ecce enim dicitur:

VERS. 12. Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.

2. In electis et reprobis diversi sunt impetus. In electis videlicet impetus spiritus in reprobis impetus carnis. Impetus quippe carnis ad odium, ad elationem, ad immunditiam, ad rapinam, ad exteriorem gloriam, ad

crudelitatem, ad perfidiam, ad desperationem, ad iram, ad jurgia, ad voluptates animum impellit. Impetus vero spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiae, ad interiorem provectum, ad pietatis opera, ad aeternorum fidem, ad spem sequentis gaudii, ad patientiam, ad pacem, ad considerationem vitae mortalis, ad lacrymas mentem pertrahit. Unde necesse est ut magna semper cura considerare debeamus in omne quod agimus quis nos impetus ducat; utrum nostra cogitatio per impetum carnis, an per impetum spiritus impellatur. Amare enim terrena, temporalia aeternis praeponere, exteriora bona non ad usum necessarium habere, sed ad voluptatem concupiscere, ultionem de inimico quaerere, de aemuli casu gaudere, impetus carnis est. At contra, amare coelestia, contemnere terrena, non ad fructum voluptatis transitoria, sed ad usum necessitatis quaerere, de inimici morte tribulari, impetus spiritus est. Et quia perfecti quique in istis se semper virtutibus exercent, recte nunc de sanctis animalibus dicitur: Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.

3. Sed sciendum nobis est quod plerumque impetus carnis se sub velamine spiritalis impetus palliat, et quod carnaliter facit mentitur sibi ipsa cogitatio quia hoc spiritaliter faciat. Nam saepe quis, iracundiae stimulis victus, contra delinquentes zelo ulciscendae justitiae plus quam necesse est inflammatur, et justitiae limitem in ultione transiens agit crudeliter, quod se agere juste suspicatur. Impetus igitur carnis huic sub specie spiritus velatus est, quando hoc quod juste agi creditur sub discretionis moderamine non tenetur. Et saepe alius, nimiae mansuetudini studens, subjectorum vitia aspicit, atque haec per fervorem zeli corrigere recusat, quae in eis crudeliter non corrigendo multiplicat; fitque ut ejus lenitas et sibi sit et subjectis inimica, qui torporem mentis suae quia patientiam deputat, per carnis spiritum ab impetu spiritus elongat. Prima ergo nos cogitatio in

inquisitionem nostri cordis debet excutere, ne ad quaedam quae agimus per apertum carnis impetum ducamur, ne pravis delectationibus animus seductus mala esse cognoscat, et tamen faciat. Secunda vero nos cura debet vigilantes reddere, ne se impetus carnis quasi sub impetu spiritus latenter subjiciat, et culpas quas agimus nobis virtutes fingat.

4. Sciendum vero est quia graviores culpae sunt quae superducta specie virtutes imitantur, quia illae in aperto cognitae animum in confusionem dejiciunt, atque ad poenitentiam trahunt; istae vero non solum in poenitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis elevant, dum virtutes potantur. Hoc autem quod de sanctis animalibus dictum superius fuerat, ut altius confirmetur, iterum replicatur:

IBID.---Non revertebantur cum ambularent.

5. Quia electi quique sic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant: Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Matth. X, 22). Et sicut per Salomonem dicitur: Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem (Prov. IV, 18). In eorum namque animis bonum desiderium atque intellectus lucis intimae jam pars diei est, sed quia usque ad finem vitae in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando, ad regna coelestia perducti, in ea luce quam desiderant jam minus aliquid non habebunt. Sequitur:

VERS. 13.---Et similitudo animalium, et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum.

6. Aspectus animalium carbonibus ignis ardentibus atque lampadibus comparatur. Quisquis enim carbonem tangit, incenditur, quia qui sancto viro adhaeret, ex ejus

assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis accipit ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugiat, in desiderio lucis exardescat, et jam per verum amoremardeat, qui prius in iniquitate tantum mortuus, quantum frigidus jacebat. Lampades vero lucem suam longius spargunt, et cum in alio loco sint, in alio resplendent. Qui enim spiritu prophetiae, verbo doctrinae, miraculorum pollet gratia, hujus opinio longe lateque ut lampas lucet; et quique bona ejus audiunt, quia per haec ad amorem coelestium surgunt, in eo quod se per bona opera exhibent, quasi ex lampadis lumine resplendent. Quia ergo sancti viri quosdam juxta se positos quasi tangendo ad amorem patriae coelestis accendunt, carbones sunt. Quia vero quibusdam longe positis lucent, eorum itineri, ne in peccati tenebras corruant, lampades fiunt. Hoc vero inter carbones et lampades distat, quod carbones ardent quidem, sed ejus loci in quo jacuerint tenebras non expellunt; lampades autem, quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant.

7. Qua ex re notandum est quia sunt plerique sanctorum ita simplices et occulti, seseque in locis minoribus sub magno silentio contegentes, ut vix eorum vita ab aliis possit agnosci. Quid itaque isti nisi carbones sunt? Qui etsi per fervorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent. Nec in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omnino sciri refugiunt. Sibimetipsis quidem accensi sunt, sed aliis in exemplo luminis non sunt. Hi autem qui et exempla virtutum praerogant, et lumen boni operis per vitam et verbum itinerantibus demonstrant, jure lampades appellantur, quia et per ardorem desiderii, et per flammam verbi, a peccatorum cordibus erroris tenebras expellunt. Qui igitur in occulto bene vivit, sed alieno provectui minime proficit, carbo est. Qui vero, in imitatione sanctitatis positus, lumen ex se rectitudinis

multis demonstrat, lampas est, quia et sibi ardet, et aliis lucet. Sequitur:

IBID.---Et haec erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens.

8. In medio animalium discurrens ignis videtur, quia nisi ab igne veritatis pennata illa animalia calorem susciperent, ipsa in carbonum atque lampadarum similitudinem non arderent. Ignis enim nomine sanctus Spiritus significari solet. De quo in Evangelio Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur (Luc. XII, 49)? Cum enim carnalis mens Spiritum sanctum accipit, spiritali amore succensa malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando accusante se conscientia cor peccatoris uritur, atque in dolore poenitentiae crematur. Hinc rursum scriptum est: Deus tuus ignis consumens est. (Deut. IV, 24). Quia enim mentem quam repleverit, eam a peccatorum rubigine mundam reddit, creator noster et ignis dicitur, et consumens. Sanctus ergo Spiritus in medio animalium splendor ignis, et de igne fulgur egrediens discurrere dicitur, quia universam Ecclesiam replens, in electorum cordibus ex seipso flammas amoris projicit, ut corusci more per terrorem feriat, et ad amorem suum corda torpentia accendat.

9. Sed quia Spiritus sanctus Deus ante saecula Patri est et Filio coaeternus, quaerendum nobis est cur discurrere dicatur. Omnis etenim qui discurrit accedit ad locum in quo non fuit, et eum deserit in quo fuit. Qua igitur ratione discurrere spiritum dicamus, dum cuncta intra ipsum sint, et locus nusquam sit ubi non sit? Sicut scriptum est: Spiritus Domini replevit orbem terrarum (Sap. I, 7). Et tamen, cum laus sapientiae describeretur, adjunctum est: Est enim in illa spiritus intellectus, spiritus unicus, multiplex, subtilis, mobilis (Ibid. VII, 22). Et paulo post: Humanus stabilis (Ibid., 23).

10. In quibus rursum verbis magna nobis quaestio oritur, cur iste spiritus qui implet omnia simul mobilis et stabilis dicatur. Sed si ad usum consuetudinis humanae recurrimus, sensum citius loquentis invenimus. Homo quippe, qui in ea regione in qua est ubique discurrit, procul dubio ubique obviam venit, et repente ubi non creditur, invenitur. Omnipotens ergo Spiritus, ut ubique praesentia signaretur, simul et mobilis et stabilis dicitur. Stabilis, quia per naturam omnia continet, mobilis autem dicitur quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia stabilis, praesentem se omnibus exhibens mobilis appellatur. Splendor ergo ignis, et de igne fulgur egrediens inter pennata animalia discurrit, quia Spiritus sanctus simul singulis atque omnibus praesto fit, et incendit quos contigerit, et illuminat quos incendit, ut post frigus pristinum accensi ardeant, et per ignem amoris quem acceperint flammas exemplorum reddant. Fulgur quippe de hoc igne egrediens torpentes mentes percutit, easque percutiendo excitat et inflammat, ut post amorem illus ardentes pariter et lucentes currant. Unde alias scriptum est: Thronus ejus flamma ignis, rotae ejus ignis accensus (Dan. VII, 9). Hi enim qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia uno in loco positi, divinitatis in se praesentiam portant et ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Hi autem qui amore Domini in praedicatione discurrunt, rotae ejus ignis ardens sunt, quia cum ex ejus desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent et alios accendunt.

11. Potest tamen discursus atque mobilitas Spiritus requisitione alterius considerationis intelligi. In Sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet, juxta quasdam vero recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim, spe, atque charitate, et in bonis aliis, sine quibus ad coelestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, justitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In

prophetiae vero virtute, doctrinae facundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. Adest ut eleventur, et semetipsum subtrahit ut humilientur. Adest ut eos ostensa virtute glorificet, recedit ut semetipsos subtracta ejus virtute cognoscant. Adest ut ostendat quid per ipsum sint, recedit ut patefaciat qui vel quales, remaneant sine ipso. In his itaque virtutibus sine quibus ad vitam minime pervenitur, sanctus Spiritus in electorum suorum cordibus permanet; unde recte stabilis esse perhibetur. In his vero per quas sanctitatis virtus ostenditur, aliquando misericorditer praesto est, et aliquando misericorditer recedit, unde recte mobilis nuncupatur. Discurrens ergo et mobilis Spiritus dicitur, quia in signis atque virtutibus juxta uniuscujusque votum continue non habetur. Bene autem inter sancta animalia discurrere perhibetur. Discursus quippe ad celeritatem pertinet. Inter perfectos autem discurrit spiritus, quia etsi ab eorum corde ad momentum recesserit, citius redit. Sequitur:

VERS. 14.---Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.

12. Cum superius dictum sit: Non revertebantur cum ambularent, qua ratione nunc dicitur: Animalia ibant et revertebantur? Valde sibi haec videntur esse contraria, quia ibant et non revertebantur, et ibant et revertebantur. Sed qualiter intelligendum sit citius agnoscimus si duas vitas, activam scilicet et contemplativam, sollicite discernamus. In una enim fixi permanere possumus, in altera autem intentam mentem tenere nullo modo valemus. Cum enim torporem nostrum relinquimus, nosque ipsos ad bonae operationis studium excitamus, quo alibi nisi ad activam imus? A qua reverti post nos nullo modo debemus, quia qui post illam ad torporem negligentiae, ad pravitatis nequitias quas reliquerat redit, esse sine dubio coeleste animal nescit. Cum vero ab activa vita ad contemplativam surgimus, quia diu

mens stare in contemplatione non valet, sed omne quod de aeternitate per speculum et in aenigmate conspicit, quasi furtim hoc et per transitum videt, ipsa sua infirmitate ab immensitate tantae celsitudinis animus repulsus in semetipso relabitur. Et necesse est ut ad activam redeat, seque ipsum continue in usu bonae operationis exerceat, ut cum mens surgere ad contemplanda coelestia non valet, quaeque potest bona agere non recuset. Sicque fit ut ipsis suis bonis actibus adjuta ad superiora rursus in contemplationem surgat, et amoris pastum de pabulo contemplatae veritatis accipiat. In qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens, suavitatis Dei memoria pascitur, et foris piis actibus, intus vero sanctis desideriis nutritur. Hinc etenim de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur: Memoriam suavitatis tuae eructabunt (Psal. CXLIV, 7). Dulcedinem quippe suavitatis intimae, quia utcunque possunt, velut quodam ex corusco, praegustando tangere, ejus memoriam student recolendo semper et loquendo eructare. Unde et apte nos Psalmista admonet, dicens: Lux orta est justo, et rectis corde laetitia. Laetamini justi in Domino, et confitemini memoriae sanctitatis ejus (Psal. XCVI, 11, 12). Qui rursum ait: Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine (Psal. XXX, 20)! Quae videlicet quam magna esset nullo modo cognosceret, nisi hanc aliquatenus contemplando gustasset. Hinc iterum dicit: Ego dixi in ecstasi mea, projectus sum a vultu oculorum tuorum (Ibid., 23). Nisi enim in mentis excessu sublevatus dulcedinem suavitatis aeternae cognovisset, in hoc adhuc mundo retentus non discerneret quam longe projectus jaceret. Ostensa ergo animalia vadunt et non revertuntur, atque vadunt et redeunt; quia sancti viri et ab activa vita quam apprehenderunt ad iniquitates non corruunt, et a contemplativa, quam tenere jugiter non possunt, in activam relabuntur. Sicut enim dictum est, ipso infirmitatis suae pondere devicti, ad semetipsos repulsi redeunt, ut euntes discant quid desiderent, et revertentes

ubi jaceant sciant. Euntes intelligant ubi nondum sint, revertentes quid sint.

13. Sed qualiter haec sancta animalia redeant, demonstratur cum subditur: In similitudinem fulguris coruscantis. Bene autem revertentia animalia coruscanti fulguri comparantur, quia sancti viri cum ad superna contemplanda evolant, cum primitias sui spiritus in coelestis patriae amore ligant, sed gravati humanae conversationis pondere ad semetipsos redeunt, bona coelestia quae saltem per speculum contemplari potuerunt, fratribus denuntiant, eorumque animos in amorem intimae claritatis accendunt, quam nec videre sicut est, nec loqui praevalent sicut viderunt. Loquentes autem verbis suis corda audientium feriunt et incendunt. Quasi ergo fulgur coruscans redeunt, qui, cum coelestia loquuntur, quia per eos supernum lumen intermicat, ad amorem coelestis patriae mentes audientium inflammant. More itaque coruscantis fulguris cum loquendo percutiunt, ignem spiritalis desiderii spargunt.

14. Alio quoque modo sancta animalia vadunt et redeunt. Vadunt enim cum ad insinuandam coelestis doni gratiam in praedicationem mittuntur, atque ut ad fidem trahant, mira coram infidelibus faciunt; sed redeunt, quia, haec omnipotentis Domini virtuti tribuentes, sibimetipsis quae fecerint non ascribunt. Cum enim stupenda faciunt, fulgur sunt, quia corda intuentium concutiunt, terrent, illuminant, et accendunt. Unde scriptum est: In lumine jacula tua ibunt, in splendore fulguris armorum tuorum (Habac. III, 11). Jacula Domini sunt verba Sanctorum, quae corda peccantium feriunt. Sed ista jacula habent arma. Scitis, fratres, quia praeliatores viri jacula mittunt, armis vero muniuntur. Dum ergo verbis addunt miracula, quasi armis se muniunt, ne ipsi feriantur: In lumine jacula tua ibunt, quia in aperto exeunt verba Dei. Sed quia comitari debent sententias sanctorum doctorum facta miraculorum, recte subjungitur: In splendore fulguris

armorum tuorum, quia dum addis eis arma miraculorum, mentes persequentium fulgurant, ut eos persequi non praesumant. Haec itaque animalia vadunt et revertuntur in similitudinem fulguris coruscantis, quia postquam mira sancti inter homines faciunt, postquam corda audientium sparso lumine incendunt, ad dandam auctori suo gloriam redeunt, ut illi laudem reddant per quem se posse talia sciunt.

15. Sic Petrus, cum, sanato homine qui claudus ex utero matris fuerat, signum fecit quod omnes qui cognoscerent valde mirarentur, dixit: Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum (Act. III, 12, 13). Et paulo post: In fide nominis ejus hunc quem vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus (Ibid., 16). Signum quippe faciens, intuentium oculos miraculi lumine perstrinxit; sed humilitatem custodiens, et laudem auctori reddens, quasi unde venerat rediit, quia lux fulguris unde fuerit ostendit. Sancta itaque animalia cum ad signa operanda veniunt, et cum ad reddendam auctori suo gloriam intus apud semetipsa redeunt, fulgur sunt, quia et ostendendo miracula, et exempla humilitatis praebendo, mentes intuentium feriunt et incendunt.

16. In omne autem quod faciunt, idcirco semper ad laudem Creatoris redeunt, ut in ea virtute quam accipiunt, vera stabilitate persistant. Nam si quid sibi tribuerent, in hoc quod acceperant, stare non possent. Unde bene etiam per Salomonem dicitur: Ad locum de quo exeunt flumina revertentur ut iterum fluant (Eccle. I, 7). Sive enim in virtutibus, seu in doctrina, quid aliud sunt sancti viri quam flumina quae terram cordis carnalium aridam rigant? Sed sive in operatione quam faciunt, seu in doctrinae verbis, citius siccarentur, nisi per intentionem cordis semper sollicite ad locum de quo exeunt redirent.

Si enim introrsus ad cor non redeant, ac sese in amore conditoris desideriorum vinculis non astringant, et manus ab eo quod agebat deficit, et lingua ab eo quod loquebatur arescit. Sed intus semper per amorem redeunt, et hoc quod in publico operantes atque loquentes fundunt, in secreto suo de fonte amoris hauriunt. Amando enim discunt quod docendo proferunt. Ad locum ergo de quo exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant, quia aquam sapientiae inde semper hauriunt unde oritur, ne cum cucurrerit exsiccetur. Per omne ergo quod agimus ad fontem veri luminis sollicita mente redeamus. Reddamus Creatori nostro gratias de bonis quae accipimus, eique cum Isaia propheta suppliciter dicamus: Omnia opera nostra operatus es nobis (Isai. XXVI, 12). Bona enim nostra ejus sunt opera, cujus visceribus non suffecit ut nos erigeret, nisi et semetipsum pro nobis inclinaret. Si enim coaeternus Patri Deus ante saecula non fieret homo in tempore, quando homo temporalis saperet aeterna? Descensio ergo veritatis ascensio facta est humilitatis nostrae. Demus ei gloriam, demus laudem, qui vivit cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VI.

Explanantur versus 15, 16, 17, cum media decimi octavi parte; deflexo ad sacrae Scripturae, ad Evangelii praesertim commendationem, prophetici sermonis sensu.

1. Tenebrosa aqua in nubibus aeris (Psal. XVII, 12), quia obscura est scientia in prophetis. Sed Salomonis voce attestante didicimus: Gloria regum celare verbum, et gloria Dei est investigare sermonem, quia et honor est hominum eorum secreta abscondere, et gloria Dei est mysteria sermonis ejus aperire (Prov. XXV, 2). Ipsa autem per se Veritas discipulis dicit: Quae dico vobis in tenebris, dicite in lumine (Matth. X, 27); id est, aperte exponite

quae in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnae vero utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat quod capere non posset otiosus. Habet quoque adhuc aliud majus, quia Scripturae sacrae intelligentia, quae si in cunctis esset aperta vilesceret, in quibusdam locis obscurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto majore labore fatigat animum quaesita. Ecce enim sancti Ezechielis nunc voce dicitur:

VERS. 15.---Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.

2. Quid autem rota, nisi sacram Scripturam signat, quae ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, et nullo erroris angulo a praedicationis suae via retinetur? Ex omni autem parte volvitur, quia inter adversa et prospera recte et humiliter incedit. Circulus quippe praeceptorum illius modo sursum, modo deorsum est, quae perfectioribus spiritaliter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt; et ipsa quae parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam in altum ducunt. Quis namque parvulorum in facto Esau et Jacob, quod alter ad venatum mittitur ut benedicatur, alter vero per suppositionem matris a patre benedicitur (Genes. XXVII, 3, 28), nisi juxta sacrae lectionis historiam pascitur? In qua videlicet historia si ad intellectum paulo subtilius astringatur, videt quia Jacob primogeniti benedictionem non per fraudem subripuit, sed sibi debitam accepit, quam, concedente fratre, datae lentis mercede emerat.

3. At vero si quis altius sentiens utrorumque facta velit per allegoriae arcana discutere, protinus ab historia in mysterium surgit. Quid est enim quod Isaac de majoris filii sui venatione vesci concupiscit, nisi quod omnipotens Deus Judaici populi bona operatione pasci desideravit? Sed illo tardante, minorem Rebecca supposuit, quia dum Judaicus populus bona opera foris quaerit, gentilem

populum mater gratia instruxit, ut omnipotenti patri cibum boni operis offerret, benedictionemque majoris fratris acciperet. Qui eosdem cibos ex domesticis animalibus praebuit, quia gentilis populus placere Deo de exterioribus sacrificiis non quaerens, per vocem Prophetae dicit: In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam, laudationes tibi (Psal. LV, 12). Quid est quod idem Jacob manus ac brachia et collum haedinis pellibus texit, nisi quod haedus pro peccato offerri consuevit? Et gentilis populus carnis quidem in se peccata mactavit, sed coopertum se peccatis carnalibus confiteri non erubuit Quid est quod vestimentis fratris majoris induitur, nisi quod sacrae Scripturae praeceptis quae majori populo data fuerant in bona operatione vestitus est? Et eis minor in domo utitur, quae major foras exiens intus reliquit, quia illa gentilis populus praecepta tenet in mente, quae Judaicus populus habere non potuit, dum solam in eis litteram attendit. Et quid est quod Isaac eumdem filium nescit quem benedicit, nisi hoc quod de gentili populo Dominus per Psalmistam dixit: Populus quem non cognovi, servivit mihi, ob auditum auris obedivit mihi (Psal. XVII, 45)? Quid est quod praesentem non vidit, et tamen quae ei in futuro veniant vidit, nisi quod omnipotens Deus, cum per prophetas suos praediceret gentilitati gratiam praerogandam, eam et in praesenti per gratiam non vidit, quia tunc in errore dereliquit, et tamen quia hanc quandoque collecturus erat, per benedictionis gratiam praevidit? Unde et eidem Jacob, gentilis populi figuram tenenti, in benedictione dicitur: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus Deus (Genes. XXVII, 27). Sicut enim in Evangelio Veritas dicit, Ager est hic mundus (Matth. XIII, 38), et quia gentilis populus ad fidem perductus per electos suos in universo mundo virtutibus redolet, odor filii odor est agri pleni.

4. Aliter namque olet flos uvae, quia magna est virtus et opinio praedicatorum quae debriant mentes audientium; aliter flos olivae, quia suave est opus

misericordiae quod more olei refovet et lucet; aliter flos rosae, quia mira est fragrantia quae rutilat et redolet ex cruore martyrum; aliter flos lilii, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis; aliter flos violae, quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem a terra in altum non sublevant, et coelestis regni purpuram in mente servant; aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum qui justitiam esuriunt praeparatur. Quia ergo gentilis populus in electis suis ubique per mundum sparsus est, et ex eis virtutibus quas agit omnes qui intelligunt odore bonae opinionis replet, dicatur recte: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Sed quia easdem virtutes ex semetipso non habet, adjungat: Cui benedixit Dominus Deus.

5. Et quoniam idem electorum populus per quosdam etiam in contemplationem surgit, per quosdam vero in activae vitae solummodo opera pinguescit, recte illic additur: Det tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae (Genes. XXVII, 28). Ros enim desuper et subtiliter cadit. Et toties de rore coeli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimae de supernis aliquid tenuiter videmus. Cum vero bona opera etiam per corpus agimus, de terrae pinguedine ditamur.

6. Quid est autem quod Esau tarde ad patrem redit, nisi quod Judaicus populus ad placendum Domino sero revertitur? Cui et hoc in benedictione dicitur: Tempusque erit cum solvatur jugum de collo tuo (Ibid., 40). Quia a servitute peccati Judaicus populus in fine liberatur, sicut scriptum est: Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. XI, 25).

7. Quem non parvulorum ipsa evangelica historia in miraculi operatione reficiat, quod hydrias vacuas Dominus aqua impleri praecepit, eamdemque aquam protinus in vinum vertit (Joan. II, 7)? Sed cum haec

vigilantiores ingenio audiunt, et sacram historiam credendo venerantur, et quid interius innuat requirunt. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino statim replere. Sed impleri hydrias aqua jubet, quia prius per sacrae lectionis historiam corda nostra replenda sunt. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia per allegoriae mysterium in spiritalem nobis intelligentiam commutatur. Rota ergo quasi per terram trahitur, quia parvulis humili sermone concordat, et tamen magnis spiritalia infundens, quasi circulum in altum levat; et inde sursum erigitur, unde terram tangere paulo ante videbatur.

8. Quia vero undique aedificat, quasi per circulum rota currit. Unde et in lege scriptum est: Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus et calamos, scyphos et sphaerulas ac lilia ex ipso procedentia (Exod. XXV, 31; XXXVII, 17). Quis in candelabro nisi Redemptor humani generis designatur? Qui in natura humanitatis infulsit lumine divinitatis, ut mundi candelabrum fieret, quatenus in ejus lumine omnis peccator in quibus jaceret tenebris videret. Qui pro eo quod naturam nostram sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi ex auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producitur, quia et Redemptor noster qui ex conceptione et nativitate perfectus Deus et homo exstitit, passionum dolores pertulit, et sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrum fuit, quia et peccatum non habuit, et tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta virtutes animae quo percussionibus potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis, quae nos sumus, quotidie percussionibus proficit, quia dum nos tundimur et afficimur ut ejus corpus esse mereamur, ipse proficit. De cujus corpore scriptum est: Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei (Coloss. II, 19). Corpus quippe illius nos omnes sumus. Per

nexus vero et conjunctiones corpus ligatur, quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt conjuncti, ac membra caetera membris inhaerent, corpus omne perficitur, sicut sancti apostoli, quia Redemptori nostro propinqui steterunt, quasi pectus capiti adhaesit. Quos quia martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores et doctores subjuncti sunt per bona opera, manus brachiis inhaeserunt. Hoc vero omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus et conjunctiones subministratur in coelo, quia cum ad eum illuc electae animae ducuntur, ei sua membra colligantur. De quo bene dicitur: Subministratum et constructum crescit in augmentum Dei (Ibid.), quia Deus omnipotens redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursum scriptum est: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi (Ephes. IV, 13). Hastile vero ejusdem candelabri ipsa Ecclesia debet intelligi, quae corpus ejus est, quia inter tot adversa liber stat. Calami autem qui de hastili prodeunt, praedicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet canticum novum. Scyphi autem vino repleri solent. Quid ergo mentes auditorum nisi scyphi sunt, quae a sanctis praedicatoribus vino scientiae replentur? Sphaerula autem quid est aliud nisi volubilitas praedicationis? Sphera enim ex omni parte volvitur. Et praedicatio, quae nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur, sphaera est, quia est et inter adversa fortis, et inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet, quia per cuncta se volubiliter trahit.

9. Ut autem hoc quod exempli causa protulimus exsequamur, bene post calamos, scyphos et sphaerulas, in candelabro lilia describuntur, quia post eam quam diximus praedicationis gratiam atque volubilitatem, illa virens patria sequitur, quae animabus sanctis, id est

floribus vernat aeternis. Sphaerulae ergo ad laborem pertinent, lilia ad retributionem. Itaque sicut apud Moysen sphaerula, doctrina praedicationis accipitur; ita hic per rotam ipsa sacra Scriptura signatur. Propheta igitur dum sancta animalia videret, adjunxit: Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.

10. Qua in re quaerendum est, cum inferius rotae describuntur, cur una rota prius apparuisse dicitur, nisi quia antiquo populo Vetus solummodo Testamentum datum est, quod ad erudiendam mentem illius quasi rota volveretur? Bene autem rota eadem super terram apparuisse dicitur. Peccanti enim homini dictum est: Terra es, et in terram ibis (Genes. III, 19). Rota ergo super terram apparuit, quia Deus omnipotens legem super corda peccantium dedit. Sed quia haec pennata animalia sanctos, ut ante diximus, evangelistas designant, quomodo prius animalia, et postmodum rota una aspicitur, cum ante Testamentum Vetus fuerit, et postmodum sancti evangelistae secuti sint? Sed intelligere in his possumus quod illi prius a propheta visi sunt qui merito transcendunt. Nam quanto sanctum Evangelium Testamentum Vetus praecellit, tanto et praedicatores ejus in descriptione prophetica praeferri debuerunt.

11. Quamvis sit adhuc aliud quod in hac descriptione considerari debeat, quia prophetiae spiritus sic intra semetipsum anteriora et posteriora simul colligit, ut haec simul prophetae lingua proferre non possit. Sed ampla quae videt de dispertitis sermonibus emanat, et nunc ultima post prima, nunc vero prima post ultima loquitur. Unde Ezechiel propheta sub figura sanctae universalis Ecclesiae, et evangelistarum gloriam per quatuor animalium similitudinem videt, et tamen repente illa subjungit, quae anterioribus temporibus gesta sunt, ut patenter indicet simul se vidisse quod carnis lingua non sufficeret simul dicere. Quia vero per quatuor animalia

etiam perfectos omnes significari diximus, considerandum quoque est quosdam sanctorum et ante legem fuisse, qui naturali lege districte viverent, et omnipotenti Domino placerent. Post animalia ergo rota describitur, quia electorum multi apud omnipotentem Dominum perfecti et ante legem fuerunt. Sin vero animalia solos, ut diximus, Evangelistas debemus accipere, est adhuc aliud quod considerare debeamus. Videbat enim sanctus propheta quia haec ipsa verba quae obscuritatibus obvoluta proferebat, non Judaico populo, sed gentibus panderentur. Nobis igitur loquens prius animalia et post rotam describere debuit, quia nos ad fidem Domino largiente venientes, non per legem Evangelium, sed per sanctum Evangelium legem didicimus. Ubi vero, vel qualis rota apparuerit, adjungit cum dicit:---VERS. 15.---Juxta animalia habens quatuor facies. Ubi adhuc subditur:

VERS. 16.---Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris; et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum et opera, quasi si sit rota in medio rotae.

12. Quid est hoc, quod cum una rota diceretur, paulo post adjungitur, Quasi si sit rota in medio rotae, nisi quod in Testamenti Veteris littera Testamentum Novum latuit per allegoriam? Unde et rota eadem quae juxta animalia apparuit quatuor facies habere describitur, quia Scriptura sacra per utraque Testamenta in quatuor partibus est distincta. Vetus etenim Testamentum in lege et prophetis, Novum vero in Evangeliis atque apostolorum Actibus et dictis. Scimus autem quia ubi faciem intendimus, ibi quod necesse est videmus. Rota ergo quatuor habet facies, quia prius resecanda mala in populis vidit per legem, postmodum vidit per prophetas, subtilius vero per Evangelium, ad extremum autem per apostolos ea quae in culpis hominum resecarentur aspexit. Potest quoque intelligi quod quatuor facies rota habeat, propter hoc quod Scriptura sacra per gratiam praedicationis extensa in quatuor mundi partes innotuit.

Unde et bene rota eadem una prius juxta animalia apparuisse et postmodum quatuor facies habuisse describitur, quia nisi lex Evangelio concordaret, in quatuor mundi partibus non innotesceret.

13. Sequitur: Et aspectus rotarum, et opus earum quasi visio maris. Recte sacra eloquia visioni maris similia narrantur, quia in eis magna sunt volumina sententiarum, cumuli sensuum. Nec immerito mari similis Scriptura sacra dicitur, quia firmantur in ea sententiae locutionis, sacramento baptismatis. Vel certe considerandum est quia navibus in mare navigamus, cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio nisi illa terra de qua scriptum est: Portio mea in terra viventium (Psal. CXLI, 6)? Ligno autem, ut dixi, evehitur qui mare transit. Et scimus quia sacra Scriptura lignum crucis per legem nobis praenuntiat, cum dicit: Maledictus omnis qui pendet in ligno (Deut. XXI, 23). Quod Redemptori nostro Paulus attestatur, dicens: Factus pro nobis maledictum (Galat. III, 13). Per prophetas quoque lignum annuntiat, cum dicitur: Dominus regnabit a ligno (Psal. XCV, 10). Et rursum: Mittamus lignum in panem ejus (Jerem. XI, 9). Per Evangelium vero lignum crucis aperte ostenditur, ubi ipsa Domini passio quae prophetata est declaratur. Per apostolos autem haec eadem crux etiam in verbis et operibus tenetur, cum Paulus dicit: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Galat. VI, 14). Et rursus: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (Ibid., 14). Nobis ergo qui ad aeternam patriam tendimus Scriptura sacra per quatuor suas facies mare est. Quae crucem annuntiat, quia nos ad terram viventium ligno portat. Nisi autem mari Scripturam sacram similem cerneret propheta, minime dixisset: Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientis (Isai. XI, 9). Sequitur:

VERS. 16.---Et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum et opera, quasi si sit rota in medio rotae.

14. Una similitudo ipsarum est quatuor, quia quod praedicat lex, hoc etiam prophetae; quod denuntiant prophetae, hoc exhibet Evangelium; quod exhibuit Evangelium, hoc praedicaverunt apostoli per mundum. Una ergo est similitudo ipsarum quatuor, quia divina eloquia etsi temporibus distincta, sunt tamen sensibus unita.

15. Et aspectus earum et opera, quasi si sit rota in medio rotae. Rota intra rotam est Testamentum Novum, sicut diximus, intra Testamentum Vetus, quia quod designavit Testamentum Vetus, hoc Testamentum Novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar, quid est quod Adam dormiente Eva producitur (Genes. II, 21, 22), nisi quod moriente Christo Ecclesia formatur? Quid est quod Isaac ad immolandum ducitur, et ligna portat, arae superimponitur et vivit (Genes. XXII, 6), nisi quod Redemptor noster ad passionem ductus lignum sibi crucis ipse portavit? Et sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate. Quid est quod homicida post mortem summi pontificis absolutus ad terram propriam redit (Num. XXXV, 25; Josue XX, 6), nisi quod humanum genus quod peccando sibimetipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri peccatorum suorum vinculis solvitur, et in paradisi possessione reparatur? Quid est quod in tabernaculo propitiatorium fieri jubetur (Exod. XXV, 17), super quod duo cherubim, unum a summitate una, et alterum a summitate alia, ex auro mundissimo ponuntur expandentes alas, et operientes oraculum, qui se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium (Exod. XXV, 20), nisi quod utraque Testamenta ita sibi in Mediatore Dei et hominum congruunt, ut quod unum designat, hoc alterum exhibeat? Quid enim per propitiatorium, nisi ipse Redemptor humani generis designatur? De quo per Paulum dicitur: Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius (Rom. III, 25). Quid vero per duo Cherubim, quae plenitudo

scientiae dicuntur, nisi utraque Testamenta signata sunt? Ex quibus unum a summitate una propitiatorii, aliud vero a summitate altera stat, quia quod Testamentum Vetus de incarnatione nostri Redemptoris coepit prophetando promittere, hoc Testamentum Novum perfecte narrat expletum. Duo autem cherubim ex auro mundissimo facta sunt, quia utraque Testamenta pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt vero alas, et oraculum operiunt, quia nos qui omnipotentis Dei oraculum sumus, a culpis imminentibus, Scripturae sacrae aedificatione protegimur. Cujus dum sententias sollicite aspicimus, ab errore ignorantiae, ejus alis velamur. Duo ergo cherubim se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium, quia utraque Testamenta in nullo a se discrepant. Et quasi ad semetipsa vicissim facies tenent, quia quod unum promittit, hoc aliud exhibet, dum inter se positum Mediatorem Dei et hominum vident. Facies quippe a semetipsis cherubim averterent, si quod unum Testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum concorditer de Mediatore Dei et hominum loquuntur, ut vicissim se respiciant, in propitiatorium intendunt. Rota ergo in medio rotae est, quia inest Testamento Veteri Testamentum Novum. Et, sicut saepe jam diximus, quod Testamentum Vetus promisit, hoc Novum exhibuit; et quod illud occulte annuntiat, hoc istud exhibitum aperte clamat. Prophetia ergo Testamenti Novi, Testamentum Vetus est; et expositio Testamenti Veteris, Testamentum Novum. Sequitur:

VERS. 17.---Per quatuor partes earum ibant, et non revertebantur.

16. Quo alibi divina eloquia, nisi ad corda hominum vadunt? Sed per quatuor partes euntes ibant, quia Scriptura sacra per legem ad corda hominum vadit, signando mysterium. Per prophetas vadit paulo apertius, prophetando Dominum. Per Evangelium vadit, exhibendo quem prophetavit. Per apostolos vadit, praedicando eum

quem Pater pro nostra redemptione exhibuit. Habent ergo rotae facies et vias, quia ostendunt sacra eloquia notitiam praeceptorum cum exhibitione operum. Et per quatuor partes vadunt, quia distinctis, ut praediximus, temporibus loquuntur, vel certe quia in cunctis mundi regionibus incarnatum Dominum praedicant. De quibus aperte mox subditur:

IBID.---Et non revertebantur, cum ambularent.

17. Haec superius de animalibus dicta sunt, sed non eadem intelligi de rotis quae de animalibus possunt. Rotas quippe signare Testamenta diximus. Et Testamentum Vetus ambulavit quidem, quia per praedicationem ad mentes hominum venit, sed post semetipsum reversum est, quia juxta litteram in praeceptis suis et sacrificiis usque ad finem servari non potuit. Non enim sine immutatione permansit, cum in eo spiritalis intelligentia defuit. Sed cum Redemptor noster in mundum venit, hoc spiritaliter fecit intelligi, quod carnaliter invenit teneri. Itaque dum spiritaliter littera ejus intelligitur, omnis in eo illa carnalis exhibitio vivificatur. Testamentum vero Novum etiam per Testamenti Veteris paginas testamentum aeternum appellatum est, quia intellectus illius nunquam mutatur. Bene ergo dicitur quod rotae euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent, quia dum Novum Testamentum non rescinditur, dum Vetus jam spiritaliter intellectum tenetur, post se non redeunt, quae usque ad finem mundi immutabilia persistunt. Ambulant ergo, sed non revertuntur, quia sic spiritaliter ad cor nostrum veniunt, ut eorum praecepta vel studia ulterius non mutentur. Sequitur:

VERS. 18.---Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus.

18. Quid est quod in Scripturae sacrae eloquiis tria haec inesse narrantur, ut staturam, altitudinem et horribilem aspectum, id est terribilem habere memorentur? Quaerendum nobis magnopere est quae divinae Scripturae statura, quae altitudo, qui horribilis aspectus dicitur. Sciendum ergo est quia stare ad vitam congruit bene operantis. Unde per Paulum dicitur: Qui stat, videat ne cadat (I Cor. X, 12). Qui etiam discipulis dicit: Sic state in Domino, charissimi (Philip. IV, 1). Et propheta, qui se vita ac moribus ante Dominum stare videbat, ait: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto (IV Reg. III, 14). Altitudo vero est, coelestis regni promissio. Ad quam tunc pertingitur, quando jam mortalis vitae omnis corruptio subjugatur. Horribilis vero aspectus est terror gehennae, quae sine fine reprobos cruciat, et semper in cruciatu conservat. Statura ergo in rectitudine praeceptionis est, altitudo in celsitudine supernae promissionis, horribilis vero aspectus in minis atque terroribus supplicii sequentis. Scriptura igitur sacra staturam habet, quia mores ad standum dirigit, ut auditorum mentes ad terrenam concupiscentiam non curventur. Altitudinem habet, quia in coelesti patria aeternae vitae gaudia promittit. Horribilem quoque aspectum habet, quia omnibus reprobis gehennae supplicia minatur. Ostendit igitur staturam suam in aedificatione morum, ostendit altitudinem in promissione praemiorum, ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in praeceptis, alta in promissionibus, horribilis in minis. Habet staturam cum per prophetam dicit: Quiescite agere perverse, discite benefacere, quaerite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillum, defendite viduam (Isai. I, 17). Et rursum: Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, et domesticos seminis tui ne despexeris (Ibid. LVIII, 7). Habet altitudinem cum per eumdem prophetam dicit: Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in

lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam (Ibid. LX, 19). Habet horribilem aspectum cum, infernum describens, dicit: Dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion; et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur; et erit terra in picem ardentem, nocte et die non exstinguetur in sempiternum (Isai. XXXIV, 8, seq.). Quam beatus quoque Job describit, dicens: Terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans (Job. X, 21, 22). Habet staturam cum per eam Dominus propitius pollicetur, dicens: Sicut coeli novi et terra nova, quae ego stare facio coram me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum et nomen vestrum (Isai. LXVI, 22). Illi enim veraciter coram Domino stant, qui vitam suam in pravitate non dissipant. Habet altitudinem cum statim subdit: Et erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato, et veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus (Ibid., 23). Quid est mensis nisi perfectio dierum? Et quid est Sabbatum nisi requies in qua fieri opus servile non liceat? Mensis ergo ex mense est, quia qui hic perfecte vivunt, illuc ad perfectionem gloriae perducuntur. Sabbatum vero ex Sabbato est, quia qui hic cessant a perverso opere, illic quiescunt in coelesti retributione. Habet etiam horribilem aspectum cum protinus adjungit: Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (Ibid., 24). Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, et dolores vulnerum nunquam finire! De hoc horribili aspectu rotarum bene per Sophoniam dicitur, cum supervenire duris mentibus dies judicii denuntiatur: Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis. Vox diei Domini amora, tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris (Soph. I, 14).

19. Sed quia exterioris rotae dicta posuimus, restat nunc ut interioris quoque staturam, altitudinem, et horribilem aspectum proferre debeamus. Habet quippe rota interior staturam suam cum per sanctum Evangelium ad terrena desideria incurvare nos prohibet, Redemptoris nostri vocibus dicens: Attendite ut non graventur corda vestra in crapula et ebrietate, aut in curis hujus vitae (Luc. XXI, 34). Habet altitudinem cum de eodem Redemptore promittit, dicens: Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (Joan. I, 12). Quid enim hac potestate altius, quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur filius creatoris? Habet horribilem aspectum cum de reprobis loquitur, dicens: Ibunt hi in supplicium aeternum (Matth. XXV, 46). Habet staturam cum Veritas discipulos admonet, dicens: Vendite quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos non veterascentes (Luc. XII, 33). Habet promissionis altitudinem cum dicit: Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno coelorum (Matth. VIII, 11). Habet horribilem aspectum cum subdit: Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium (Ibid., 12). Quibus rursum voce Veritatis dicitur: Vos in peccatis vestris moriemini (Joan. VIII, 21, 24). Habet staturam cum primi pastoris vocibus dicit: Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem (II Petr. I, 5). Habet altitudinem cum paulo post dicit: Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi (Ibid., 11). Qui rursus bonis pastoribus pollicetur, dicens: Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam (I Petr. V, 4). Habet horribilem aspectum cum dicit: Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua coeli magno impetu transibunt,

elementa vero calore solventur (II Petr. III, 10, 6). Cum haec igitur omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Dei per quam coeli ardentes solventur, elementa vero ignis ardore tabescent? Habet staturam cum per Paulum nos a terrenis desideriis erigit, dicens: Mortificate membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est idolorum servitus (Coloss. III, 5). Habet altitudinem cum promittit, dicens: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (Ibid., 3). Habet horribilem aspectum cum minatur, dicens: In revelatione Domini nostri Jesu Christi de coelo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis, dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus (II Thess. I, 7). Habet staturam cum nos admonet, dicens: Videte, ne quis alicui malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes (I Thess. V, 15). Habet altitudinem cum promittit, dicens: Si commorimur, et convivemus, si sustinemus, et conregnabimus (II Tim. II, 11). Et rursum: Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis (Rom. VIII, 18). Habet horribilem aspectum cum minatur, dicens: Terribilis quaedam exspectatio judicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios (Hebr. X, 27). Qui rursus ait: Horrendum est incidere in manus Dei viventis (Ibid., 31). Quae omnia brevi quoque sententia stringit, dicens: Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum (Ephes. III, 18). Lata quippe est charitas, quia et inimicorum dilectionem capit, et per eam charitatem qua nos Deus omnipotens late diligit etiam longanimiter portat. Hoc ergo nos debemus exhibere proximis, quod indignis nobis a

creatore nostro conspicimus exhiberi. Latitudo itaque et longitudo ad staturam pertinet, quia per amorem mores dilatat, ut fraterna mala charitas longanimiter portet. Sublimitas autem est aeternorum illa remuneratio praemiorum, de cujus immensitate dicitur: Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se (I Cor. II, 9). Habet ergo in sublimitate altitudinem, quia aeterna sanctorum gaudia nulla nunc praevalent cogitatione penetrari. Profundum quoque est illa inaestimabilis damnatio suppliciorum, quae eos quos susceperit in ima demergit. In quibus sacra eloquia horribilem aspectum habent, quia inaestimabilem terrorem audientibus incutiunt, cum supplicia inferni loquuntur. Bene ergo dicitur: Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus, quia Scriptura sacra in utroque Testamento et admonendo recta est, et promittendo alta, et minando terribilis.

Haec nos, fratres charissimi, hodierna die largiente Domino, dixisse sufficiat, ut ad disserenda ea quae subjuncta sunt otio reparati redeamus, in auctore omnium Deo et Domino nostro Jesu Christo confidentes, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VII.

Exponitur versus 18 cum quinque sequentibus, maxime de sacrae lectionis utilitate, et de exhibendis ea cautione charitatis officiis, ut nobis potissimum per poenitentiam intendamus.

1. Sicut nostis, fratres charissimi, consuetudo prophetiae est nunc ista, nunc illa aspicere, et ab aliis in aliud subito verba derivare, sicut Psalmista cum de Domino loqueretur, dicens: Deus judex justus, fortis et longanimis, nunquid irascitur per singulos dies? Nisi convertamini, gladium suum vibravit, arcum suum

tetendit, et paravit illum; et in ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit (Psal. VII, 12, seq.); repente subjungit: Concepit dolorem, et peperit iniquitatem; lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit (Ibid., 15). Ecce cum Domini narraret justitiam, quasi non mutata voce, repente peccatoris intulit culpam. Quod unum me exempli causa dixisse sufficiat, quia quisquis in prophetis usum lectionis habet, quam crebro ista faciant non ignorat. Unde nunc Ezechiel propheta cum de rotis loqueretur, adjunxit:

VERS. 18.---Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsorum quatuor.

2. Qui enim non ipsarum, sed ipsorum dixit, profecto indicat quia repente sermo ejus a rotis ad animalia rediit. Per quae nimirum perfecti quique, ut praedictum est, designantur. Corpora itaque animalium idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Et hoc est laboriosius, ubi sanctorum mens vehementer invigilat, ne se ante eorum oculos mala sub bonorum specie abscondant. Circumspecta ergo est vita sanctorum, ne sic sit libera, ut superba sit, quia saepe superbia excedit in verbis, et videri appetit libertas puritatis. Ne sic sit humilis, ut formidolosa, quia aliquando timor restringit animum, et loqui quae recta sunt non praesumit, sed tamen in ipsa timida cogitatione humilitatem esse se simulat. Ne sic sit parca, ut tenax sit, quia plerumque tenacia parcimonia appetit aestimari, ut juste ac necessarie videatur tenere quidquid egenti proximo misericorditer non vult impendere. Ne sic sit misericors, ut effusa sit, quia nonnunquam effusionem esse misericordiam putat. Aliud enim est pietatis studio necessaria proximis dare, atque aliud ea quae possidentur sine mercedis intentione dispergere. Quidquid ergo agitur, in radice intentionis pensandum est quo merito apud judicium creatoris habeatur. Unde et

idem creator dicit: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit (Luc. XI, 34). Oculum videlicet intentionem, corpus vero actionem nominans. Quia si nostra intentio apud Deum simplex fuerit, in ejus judicio nostra actio tenebrosa non erit. Igitur quia sancti viri solerter invigilant ut se undique aspiciant, et ubique custodiant, ne aut mala propter ea ipsa appetant, aut haec eadem sub specie bonorum agant, scilicet ne se eis vitia virtutes esse mentiantur, totum corpus plenum in circuitu oculis habent, quia omnis eorum actio providentia sollicitudinis et repletur et circumdatur.

3. Hinc est quod Paulus apostolus dum cuidam poenitenti de perpetrato facinore Corinthios prospiceret voluisse misereri, ait: Si cui aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus (II Cor. II, 10). Si enim parcendum erat, cur se humilitate tanta voluntati discipulorum magister egregius sociat, ut neque ipse discipulis, neque ab eo discipuli in compassionis causa divisi viderentur, nisi quia sollicito providentiae oculo attendit, quod plerumque dum alter donat, alter irascitur? Et quale est jam misericordiae sacrificium, quod cum discordia proximi offertur? Unde recte ait: Ut non circumveniamur a Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus. Quia videlicet inde alterius cordi rixae malum solet immittere, unde alterum conspicit pietatis negotium fecisse. Imperfectum enim bonum est quod sic agitur, ut ne quid ei ex alio latere mali subrepat non attendatur, nisi forte hoc quod sine cujuspiam scandalo fieri non potest, culpa sit non fecisse.

4. Hoc vero ideo dicimus, ut notum vestrae dilectioni faciamus quia in nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui, dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit,

dicens: Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis, an ab alienis (Matth. XVII, 24, 25)? Cui cum diceretur ab alienis, illico respondit: Ergo liberi sunt filii. Sed postquam liberum se esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdidit: Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te (Ibid., 26). Qui rursum cum diceret quia omne quod in os intrat non coinquinat hominem, tunc accedentes discipuli dixerunt ei: Scis quia Pharisaei, audito hoc verbo, scandalizati sunt? (Matth. XV, 11, seq.) At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. Sinite illos, caeci sunt, et duces caecorum. Ecce magistra Veritas, ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit tributum dedit; et rursum quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit.

5. Ex qua re nobis considerandum est quia, in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur. Corpora ergo animalium plena sunt oculis cum se hinc inde caute circumspiciunt.

6. Sed sciendum nobis est quia saepe, dum aliis rebus intendimus, fit ut alias negligamus; et ubi negligimus, ibi procul dubio oculum non habemus. Nam Pharisaeus ille qui ascenderat in templum orare, testante Evangelio, quid dixit agnovimus. Ait enim: Deus, gratias ago tibi (Luc. XVIII, 11). Recte autem gratias Deo agebat, a quo acceperat bona quae fecerat. Qui etiam subjungit: Quia non sum sicut caeteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus; jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quae possideo (Ibid., 12). Ecce ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam

misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum Pharisaeus habuerat, sed ad humilitatis custodiam oculum non habebat. Et quid prodest quod contra hostium insidias pene tota civitas caute custoditur, si unum foramen apertum relinquitur, unde ab hostibus intretur? Quid ergo prodest custodia quae pene ubique circumponitur, quando inimicis tota civitas per neglectum loci unius aperitur? Pharisaeus autem qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi pene per circuitum in suae civitatis custodia vigilavit. Sed quia unum in se foramen superbiae non attendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit. Quia ergo sanctorum mentes undique se circumspicientes invigilant, atque in omni suo opere pavoris et sollicitudinis oculum circumducunt, ne aut prava agant, aut recta quae praecepta sunt non agant, aut bonis actibus expletis, in suis cogitationibus intumescant, et tanto gravius offendant quanto justi videntur foris et occultius peccant, recte dicitur: Totum corpus eorum plenum oculis in circuitu.

7. Sciendum quoque quod in translatione veteri non habetur: Totum corpus eorum plenum oculis in circuitu, sed dicitur: Dorsa eorum plena oculis. Quae videlicet sententia ab aedificationis intellectu non discrepat. Ea enim quae sunt in facie saepe etiam peccatores homines custodire solent. Justi autem viri, quia se et in eis custodiunt quae in promptu et in facie non videntur, in dorsis oculos habere referuntur. Qui ergo et ea quae in occultis sunt discutiunt, atque ab ipsis se custodiant quae latent, profecto oculos in dorsis habent. Quod tamen intelligi et aliter potest, quia ea quae sunt ante faciem nostram videmus, dorsa autem nostra alius in nobis videt, et nos videre non possumus. Quia autem sancti viri solerter se aspiciunt in quibus ab aliis judicari possunt, et districte se vident, sicut saepe districte ab aliis videntur, qui in se nec ea quae se latere poterant ignorant, lumen in dorso portant. Sequitur:

VERS. 19.---Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotae juxta ea; et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotae.

8. Ambulant animalia cum sancti viri in Scriptura sacra intelligunt quemadmodum moraliter vivant. Elevantur vero a terra animalia, cum sancti viri se in contemplatione suspendunt. Et quia unusquisque sanctorum quanto ipse in Scriptura sacra profecerit, tanto haec eadem Scriptura sacra proficit apud ipsum, recte dicitur: Cum ambularent animalia, ambulabant pariter et rotae; et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotae, quia divina eloquia cum legente crescunt; nam tanto illa quisque altius intelligit, quanto in eis altius intendit. Unde nec elevantur rotae, si non elevantur animalia, quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta, velut in imis, non intellecta jacent. Cum enim legenti cuilibet sermo Scripturae sacrae (si tepidus videtur sensus divini eloquii) ejus mentem non excitat, et in cogitatione sua nullo intellectus lumine emicat, rota et otiosa et in terra est, quia animal non elevatur a terra. At vero si animal ambulet, id est bene vivendi ordinem quaerat, et per gressum cordis inveniat quemadmodum gressum boni operis ponat, ambulant pariter et rotae, quia tantum in sacro eloquio provectum invenis, quantum apud illud ipse profeceris. Si vero pennatum animal sese in contemplatione tetenderit, rotae protinus a terra sublevantur, quia terrena non esse intelligis, quae prius in sacro eloquio juxta terrenum morem dicta credidisti. Fitque ut Scripturae sacrae verba esse coelestia sentias, si accensus per contemplationis gratiam temetipsum ad coelestia suspendas. Et mira atque ineffabilis sacri eloquii virtus agnoscitur, cum superno amore legentis animus penetratur. Quia ergo animal ad alta se sublevat, rota volat. Sequitur:

VERS. 20.---Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter levabantur, sequentes eum.

9. Quo enim spiritus legentis tendit, illuc et divina eloquia levantur, quia si in eis altum quid videndo et sentiendo quaesieris, haec eadem sacra eloquia tecum crescunt, tecum in altiora ascendunt. Bene autem de eisdem rotis dicitur: Sequentes eum. Legentis enim spiritus, si quid in eis scire morale aut historicum quaerit, sensus hunc moralis historiae sequitur. Si quid typicum, mox figurata locutio agnoscitur. Si quid contemplativum, statim rotae quasi pennas accipiunt, et in aere suspenduntur, quia in verbis sacri eloquii intelligentia coelestis aperitur. Quocunque ergo ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter levabantur, sequentes eum. Rotae enim spiritum sequuntur, quia verba sacri eloquii, ut saepe jam dictum est, juxta sensum legentium per intellectum crescunt.

10. In una enim eademque Scripturae sententia alius sola historia pascitur, alius typicam, alius vero intelligentiam per typum contemplativam quaerit. Et fit plerumque ut, sicut dictum est, in una eademque sententia cuncta simul tria valeant inveniri. S. Moyses enim cum de ardenti rubo vocatus fuisset (Exod. III, 3), accessit propius ut videret visum, et ecce rubus ardebat, et non consumebatur. Magnum est hoc miraculum. Si solam in eo historiam requiras, est unde legentis nutriatur animus, ut videas quod in ligno ignis ardeat, et non consumat. Jam vero si typicam intelligentiam quaeras, quid flamma nisi legem, de qua scriptum est: In dextera ejus ignea lex (Deut. XXXIII, 2)? et quid rubus ille, nisi Judaicum populum designavit, peccatorum suorum spinis obsitum? Sed rubus ardens consumi non potuit, quia Judaicus populus et ignem quidem legis accepit, et tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, nec ejus vitia divini sermonis flamma concremavit. Fortasse in hoc facto alius majora per typum contemplari desiderat. Hujus quia sensus excrescit, elevantur pariter et rotae. Inter homines enim perfectus homo factus est unicus Dei Filius, qui sua peccata non habuit, sed spinas nostrae nequitiae

suscepit, atque usque ad passionem pro nobis humiliari dignatus est, et in semetipso ignem tribulationis nostrae suscipere. Sed arsit, et non arsit, quia et ex humanitate est mortuus, et tamen immortalis ex divinitate permansit. Suscepit a nobis unde sacrificium fieret pro nobis, et tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis, ut nos commutaret a nostris. Alius fortasse per historiam, moralitatem, atque alius per allegoriae intelligentiam contemplationem requirit. Patet cunctis juxta historiam hoc quod in lege scriptum est, ut turtur quae pro peccato offertur, retorqueatur caput ejus ad pennulas, ita ut collo inhaereat, et non penitus abrumpatur (Levit. I, 15; V, 8). In quibus verbis dubius legentibus sensus historicus non est. Sed si haec intelligere moraliter requiras, agitatur rota dum ad moralem intelligentiam ducitur sacri verbi sententia. Nos enim ipsi in omnipotentis Dei sacrificio esse turtur debemus, ita ut caput nostrum retorqueatur ad pennulas, id est animus ad virtutes. Non enim immerito per caput mentem intelligimus, quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit. Sed caput ad pennulas retorqueri praecipitur, ut ea quae dicis facias, et os ad opera conjungas. Nec ita caput abscindendum est, ut a corpore dividatur, sed ex parte decisum, corpori suo jubetur inhaerere, quia videlicet mens nostra a carnali delectatione incidenda est, sed a carnis cura necessaria incidenda non est. Hinc enim scriptum est: Carnis curam ne feceritis in desideriis (Rom. XIII, 14). Quae ergo in desideriis fieri prohibetur, procul dubio in necessitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abscissum est, et ex parte inhaeret, ut, sicut dictum est, et a voluntate carnis mens nostra incisa sit, et tamen a necessitate non sit abscissa. Quid, si hoc sacrificii genus sub typica Redemptoris nostri intelligentia alius ad contemplationem requirat? Ascendat ergo ad fortiora animus, eleventur animalia, ut eleventur pariter et rotae. Quis enim caput nostrum est, nisi Redemptor generis humani? De quo scriptum est: Ipsum dedit caput supra

omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius (Ephes. I, 22). Quem cum Judaei persequerentur, nomen ejus delere de terra conati sunt. Cumque eum crucifixum et sepultum viderent, hunc se ab amore omnium divisisse crediderunt. Sed caput turturis et incisum est, et tamen a suo corpore divisum non est, quia ex eo quod pro nobis mortem pertulit, omnes nos sib verius in ipsa sua morte conjunxit; et per hoc quod se nostris oculis visibiliter subtraxit, nostris se mentibus invisibiliter radicavit. Caput ergo turturis incisum inhaesit corpori, quia pro nobis quidem Redemptor noster passus est, sed a nobis separatus per passionem non est. Quia igitur dicta sacri eloquii cum legentium spiritu excrescunt, recte nunc dicitur: Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter levabantur, sequentes eum. Et subditur:

IBID.---Spiritus enim vitae erat in rotis.

11. In rotis enim spiritus vitae est, quia per sacra eloquia dono spiritus vivificamur, ut mortifera a nobis opera repellamus. Potest etiam intelligi quia spiritus vadit cum legentis animum diversis modis et ordinibus tangit Deus, quando hunc per verba sacri eloquii modo in zelo excitans, ad ultionem erigit, modo ad patientiam mitigat, modo in praedicationem instruit, modo ad poenitentiae lamenta compungit. Sed curramus breviter per haec eadem verba quae diximus, et videamus quomodo sequuntur rotae spiritum, qui vitae spiritus dicitur, et rotis inesse perhibetur.

Certe si legentis animum spiritus vitae in zeli fervore tetigerit, protinus in sacris eloquiis videt quod Moyses, ad castra rediens, et populum per idola peccasse cognoscens, hunc per fervorem spiritus gladiis stravit (Exod. XXXII, 27); quod Phinees, persequendo luxuriam, iram Domini gladio placavit (Num. XXV, 8); quod Petrus sibimet mentientes, verbo perculit et occidit (Act. V, 5,

10). Quod Paulus, negligentibus discipulis, virga minatur (I Cor. IV, 21).

12. Si vitae spiritus legentis animum ad servandam patientiam tangit, statim sequuntur et rotae, quia in sacris eloquiis invenit quod Moyses et Aaron, cum loquentes recta persecutionem populi passi sunt, ad tabernaculum cucurrerunt, pro ipso populo exorantes quem fugiebant (Num. XX, 6). Sancta autem eorum mens et tumorem superbientium pertulit, et tamen contra eos ad odium non erupit. Patientia enim vera est, quae et ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. In eisdem quoque eloquiis (I Reg. VIII, 22) invenit quod Samuel de principatu dejectus orasse se etiam pro dejicientibus confitetur; quod nemo sanctorum ad coelestem gloriam nisi patientiam servando pervenit; quod ipse auctor generis humani sputa, colaphos, spineam coronam, crucem, lanceam pertulit, et tamen pro persecutoribus oravit.

13. Si vitae spiritus legentis animum ad studium praedicationis excitat, statim sequuntur et rotae, quia in sacris eloquiis invenit S. Moyses, jubente Domino, contra Aegypti regem in quantis se praedicationis liberae verbis erexit (Exod. V, 10); quod S. Stephanus Judaeis perfidiantibus diceret: Vos semper Spiritui sancto restitistis (Act. VII, 51), nec inter lapides timuit (Ibid., 57); quod S. Petrus, fustibus caesus, ne in nomine Jesu loqueretur, cum magna libertate respondit: Obedire oportet Deo magis quam hominibus (Ibid., V, 28, 29); quod S. Paulus catenarum vinculis stringitur (Philip. I, 14), sed tamen verbum Dei non est alligatum (II Tim. II, 9).

14. Si vitae spiritus ad poenitentiae lamenta compungit, sequuntur protinus et rotae, cum Scripturae sacrae verba S. David poenitentem proferunt; quod et reprehensus a propheta, quia subjectus coelesti Regi non

fuit, subjecto increpanti non erubuit confiteri quod fecit (II Reg. XII, 13); quod publicanus, qui reatum suae nequitiae cognovit, etsi injustus ad templum venit, justificatus a templo rediit (Luc. XVIII, 13, 14); quod S. Petrus negationis maculas lacrymis lavit (Matth. XXVI, 75); quod latro qui in cruce cognovit culpam, in ipsa jam morte invenit veniam (Luc. XXIII, 43). De quibus adhuc rotis eadem propheta replicat, atque subjungit:

VERS. 21.---Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant; et cum elevatis a terra pariter elevabantur et rotae, sequentes ea, quia spiritus vitae erat in rotis.

15. Haec, sicut nostis, fratres charissimi, ex maxima parte jam dicta sunt, sed iterata descriptione narrantur. Nec nos itaque pigeat eadem breviter exponendo repetere, quae spiritus per prophetam dignatus est replicando narrare. Hoc enim solum in his verbis novum additur, quod dictum est: Cum stantibus stabant. Sunt autem quidam qui usque ad hoc proficiunt, ut terrena quae acceperunt bene dispensare noverint, misericordiae operibus intendant, oppressis subveniant. Hi videlicet vadunt, in eo quod se ad proximi utilitatem tendunt. Cum his ergo rotae gradiuntur, quia sacra eloquia dictorum suorum passus in eorum itinere disponunt. Et sunt alii qui in fide quam acceperunt ita ad tenendum fortes sunt, ut adversis quibusque resistere valeant, et non solum minime ad perversitatem trahantur perfidiae, sed etiam perversa loquentes impugnent, eosque ad rectitudinem pertrahant. Cum istis stantibus stant etiam et rotae, quia eis rectitudinem suam sacri eloquii verba confirmant, cum in eis audiunt: State et tenete traditiones quas didicistis (II Thess. II, 15). Et rursum: Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide (I Petr. V, 8, 9). Et sunt alii qui omnia terrena despiciunt, nulla quae praetereunt, possidere dignantur, et in Dei se, ut praedictum est, contemplatione suspendunt. Cum his ergo elevatis et

rotae pariter levantur, quia in quantum quisque ad alta profecerit, intantum ei et sacra eloquia de altioribus loquuntur. Vadunt ergo animalia ad utilitatem proximi, stant ad custodiam sui, elevantur ad contemplationem Dei.

16. Sed et rotae pariter vadunt, stant, elevantur, quia quaesita sacra lectio talis invenitur, qualis et fit ipse, a quo quaeritur. Ad activam enim vitam profecisti, ambulat tecum. Ad immobilitatem atque constantiam spiritus profecisti, stat tecum. Ad contemplativam vitam per Dei gratiam pervenisti, volat tecum. Et rursum subditur: Quia spiritus vitae erat in rotis. Quod idcirco secundo dicitur vitae spiritus in rotis esse, quia Scripturae sacrae duo sunt Testamenta, quae utraque Dei spiritus scribi voluit, ut nos a morte animae liberaret. Vel certe quia duo sunt praecepta charitatis, dilectio videlicet Dei, et dilectio proximi, per quae utraque nos sacrae Scripturae dicta vivificant. Secundo ergo dicitur quod spiritus vitae erat in rotis, quia dilectionem Dei et proximi capimus in eloquiis divinis. Per praecepta enim Scripturae sacrae reviviscimus, qui mortui in culpa jacebamus. Unde omnipotenti Domino per Psalmistam dicitur: In aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me (Psal. CXVIII, 93). Justificationes enim praecepta Domini dicuntur, in quibus nos corrigendo justificat. De quibus Psalmista apertius dicit: In tuis justificationibus meditabor, non obliviscar sermones tuos (Ibid., 16). In eis itaque nos vivificat, quia per haec nobis spiritualem vitam demonstrat, eamque per afflatum spiritus nostris mentibus infundit. Quod quia quotidie per donum gratiae in electorum mentibus agitur, recte dicitur: Spiritus vitae erat in rotis.

17. Haec nobis Scriptura in tenebris vitae praesentis facta est lumen itineris. Hinc etenim Petrus ait: Cui benefacitis intendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco (II Petr. I, 19). Hinc Psalmista dicit:

Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis (Psal. CXVIII, 105). Scimus tamen quia et ipsa nobis nostra lucerna obscura est, nisi hanc nostris mentibus veritas illustret. Unde iterum Psalmista ait: Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas (Psal. XVII, 29). Quid enim lucerna ardens, nisi lumen est? Sed lumen creatum nobis non lucet, nisi illuminetur a lumine non creato. Quia ergo omnipotens Deus ad salutem nostram sanctorum Testamentorum dicta et ipse creavit, et ipse aperuit, spiritus vitae erat in rotis. Sequitur:

VERS. 22.---Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, extenti super capita eorum desuper.

18. Haec, largiente Domino, duobus modis exponemus, ut lectoris judicio quid eligendum censeat relinquamus. Possunt enim firmamenti nomine coelestes potestates intelligi. Quod firmamentum recte quasi aspectus crystalli dicitur, quia videlicet crystallum forte quidem nimis est, sed ex aqua solidatur. Et natura angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate persistere, et in omnipotentis Dei conspectu permanere, an ad superbiam laberetur, et a beatitudine caderet, per similitudinem aqua fuit. Sed quia cadentibus aliis, sancti angeli in sua beatitudine perstiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possint, in eis natura sua, quia jam duci mutabiliter non potest, quasi in magnitudinem crystalli durata est. Quod crystallum horribile et extensum super capita animalium dicitur, quia illae potestates angelicae, quae omnipotentis Dei conspectui assistunt, nobis adhuc in hac corruptione positis, terribiles atque pavendae sunt. Quarum nunc gaudia, quia sensum nostrarum mentium excedunt, super capita animalium esse memorantur. Quis enim in carne corruptibili positus comprehendere valeat quae sit illa angelorum ineffabilis

et sine fine laetitia? quae beatitudo, sine defectu vultum videre creatoris, atque in ejus delectatione sine immutatione persistere?

19. Potest autem firmamenti nomine ipse per figuram noster Redemptor intelligi, verus Deus super omnia, et factus inter omnia homo perfectus, in quo nostra natura apud Patrem confirmata est. De quo etiam per Psalmistam prophetando dicitur: Fiat manus tua super virum dexterae tuae, et super filium hominis quem confirmasti tibi (Psal. LXXIX, 18). Humana etenim natura priusquam a creatore omnium susciperetur, terra erat; nam firmamentum non erat. Peccatori quippe homini dictum est: Terra es, et in terram ibis (Genes. III, 19). At postquam assumpta est ab auctore omnium, atque in coelis sublevata, et super angelos ducta, firmamentum facta est, quae terra fuit. Sed firmamentum quod aspicitur, cujus habeat similitudinem, subinfertur, cum dicitur: Quasi aspectus crystalli horribilis. Crystallum, sicut dictum est, ex aqua congelascit, et robustum fit. Scimus vero quanta sit aquae mobilitas. Corpus autem Redemptoris nostri, quia usque ad mortem passionibus subjacuit, aquae simile juxta aliquid fuit, quia nascendo, crescendo, lassescendo, esuriendo, sitiendo, moriendo, usque ad passionem suam per momenta temporum mobiliter decucurrit. Cujus cursum Propheta intuens, ait: Exsultavit ut gigas ad currendam viam (Psal. XVIII, 6). Sed quia per resurrectionis suae gloriam ex ipsa sua corruptione in incorruptionis virtutem convaluit, quasi crystalli more ex aqua duruit, ut in illo et haec eadem natura esset, et in ipsa quae jam fuerat corruptionis mutabilitas non esset. Aqua ergo in crystallum versa est, quando corruptionis ejus infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis est firmitatem mutata.

20. Sed notandum quod hoc crystallum horribile, id est pavendum, dicitur. Quis autem nesciat cujus pulchritudinis sit crystallum? Et mirum quomodo in hoc

crystallo conveniat pulchritudo cum pavore. Sed omnibus vera scientibus constat quia Redemptor humani generis cum judex apparuerit, et speciosus justis, et terribilis erit injustis. Quem enim mansuetum aspiciunt electi, hunc eumdem pavendum atque terribilem conspiciunt reprobi. Sed hunc ideo tunc electi terribilem non videbunt, quia modo terrorem illius considerare non cessant. Studiose enim considerant quam terribilis ad judicium veniat, culpas anteactas deflent, imminentes declinant; pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, et quam tremendus appareat sine cessatione suspecti sunt, atque quotidie timendo agunt ne quando venerit pertimescant. Similitudo ergo super capita animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis. Et quia ipse pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, recte subjungitur: Extenti super capita eorum desuper. Firmamentum hoc quod in similitudinem crystalli super capita eorum animalium apparet, et horribile et extentum est, quia bonorum mentes unde terret, inde protegit. Si enim pavendus in eorum cordibus non esset, protector et modo a peccatis et post a suppliciis non fuisset. Quia autem semper considerant qui pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudine conservant. Unde et apte mox subditur:

VERS. 25.---Sub firmamento autem pennae eorum rectae alterius ad alterum.

21. Tunc pennae virtutum sub firmamento rectae sunt, quando bonum quod alter habet, hoc alteri impendit, ut qui terrenam substantiam accepit, indigentis proximi inopiam sublevet; qui doctrinae gratia plenus est, ignorantis proximi tenebras verbo suae praedicationis illustret, qui temporali potestate subnixus est, oppressos a violentiis relevet; qui prophetiae spiritu plenus est, a vita proximi mala imminentia, bona suadendo, declinet; qui gratiam curationis accepit, intercessione sua saluti infirmantium pie et humiliter impendat; qui, a terrenis

actibus liber, soli Deo vacare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Fit autem saepe ut qui terrena substantia nimis occupatur orationi non quantum debet invigilet. Et fit plerumque ut is qui ad exorandum Dominum cunctis mundi oneribus exutus vacat sustentationem vivendi non habeat. Sed dum dives porrigit alimentum atque vestimentum pauperi, et dum pauper orationem suam animae divitis impendit, pennae animalium rectae alterius ad alterum tenduntur. Nam dum ille mihi verbum praedicationis exhibet, et lumine veritatis ex corde meo ignorantiae tenebras expellit, dumque illi ego, quia fortasse a mundi hujus potente opprimitur, solatium meae defensionis impertior, atque hunc de violentis manibus evello, vicissim nobis pennas nostras tendimus, ut nos affectu et ope vicaria ex bono quod accepimus tangamus. Unde bene primus pastor admonet, dicens: Omnium finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus; ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem sine murmurationibus. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes (I Petr. IV, 7, seq.). Quod ergo apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum apostolum accepta gratia dicitur. Et quod ille ait: Rectae pennae alterius ad alterum, hoc Ecclesiae pastor dicit: Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes (Ibid., 10). Pennae enim nostrae rectae jam non sunt, si ad utilitatem nostram solummodo reflectuntur. Sed tunc rectae fiunt, cum in utilitatem proximi dirigimus quod habemus. Quia enim bona nostra non a nobis sunt, sed ab eo haec accepimus a quo factum est ut essemus, tanto ea nobis non debemus retinere privata, quanto ea nobis conspicimus ab auctore nostro ad communem utilitatem data. Unde recte Petrus apostolus in exhortatione hujus rei subdit, dicens: Sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei (I Petr. IV, 10). Atque adhuc adjicit: Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat

Deus (Ibid., 11). Ac si aperte dicat: Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vobis non a vobis esse quod habetis. Quaelibet enim penna virtutis cum ad proximum impertiendo tenditur, recta non erit, si humilitate caruerit. Sequitur:

IBID.---Unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur.

22. Quia per corpus actio, per alas vero virtutes signentur, supra jam diximus (Hom. 4, n. 5). Et cum dicat: Sub firmamento autem pennae eorum recte alterius ad alterum, quaerendum est qualiter subditur: Unumquodque duabus alis velabat corpus suum. Qua in re hoc patenter indicatur, quia et pennas alius ad alterum tendebant, et tamen duabus alis corpus proprium velabant. Quid est hoc, nisi quia sic debemus virtutes quas accepimus, aliis impendere, ut ea in quibus peccavimus, non desinamus caute cogitare, et reatum nostrum quotidie per timorem et poenitentiam plangere? Duas enim alas superius, quibus corpus velatur, timorem et poenitentiam diximus. Sic ergo in charitate crescamus, ut pennas tendamus in proximos; et nunquam desinamus cogitare et plangere nosmetipsos. Pennae tendantur juxta, pennae cooperiant corpora, ut et de bonis actibus praebeamus exempla, et mala quae egimus abscondant a judicio timor et poenitentia. In translatione autem veteri de his alis dicitur: Singulis duae conjunctae, et tegentes corpora eorum. In quibus verbis intelligitur quia et ipsae erant pennae quae jungebantur alterius ad alterum, et ipsae quae eorum corpora cooperiebant. Quod per figuram bene accipitur, quia illae nos virtutes apud omnipotentem Deum protegunt, quas ex charitate proximis impertimur atque conjungimus; cum quibus dum concorditer vivimus, mala quae fecimus velamus. Possunt ergo etiam per has alas duo praecepta charitatis intelligi, amor scilicet Dei, et proximi. Amando enim Deum, nostra in nobis mala persequimur, id est corpus velamus.

Diligendo autem proximum, ei in quo prodesse possumus festinamus, id est alas ad alterum tendimus.

23. Hoc autem quod subditur, Et alterum similiter velabatur, in translatione veteri non habetur. Et quaeri potest cur postquam dictum est: Unumquodque duabus alis velabat corpus suum, subjungitur: Et alterum similiter velabatur. Translationem autem Septuaginta interpretum, Aquilae, Theodotionis, et Symmachi sollicite perscrutantes, nihil ex his verbis invenimus; sed beati Hieronymi scripta relegentes agnovimus quia hanc sententiam in Hebraea veritate ita positam, non quidem juxta verbum, sed juxta sensum invenerit. Quaeri etenim potest cur postquam dictum est: Unumquodque velabat corpus suum, statim subditur: Et alterum similiter velabatur. Si enim diceret unum et alterum, loquendi ratio staret. Postquam vero dictum est Unumquodque, cur adjicitur alterum, cum in unoquoque omnes comprehenduntur? Sed si et perfectorum vitam, et proficientium merita distinguimus, et unumquodque et alterum non irrationabiliter positum videmus. Qui enim et sua deflent, et virtutum pennas ad proximos in exemplum tendunt, procul dubio perfecti sunt. Sunt autem plerique parvulorum qui eorum lacrymas conspiciunt et imitantur. Et qui nudi in suis pravitatibus esse potuissent, sanctos vigilantioresque viros considerant; moxque suis pravitatibus irati, accenduntur ut plangant, et inflammantur ad poenitentiam. Atque ut velare sanctos corpora sua conspiciunt, ita ipsi quoque lacrymarum suarum alis velantur. Seipsos enim magnis increpationibus feriunt; cur qui virtutes non habent peccata sua minime deplorant, si adhuc et illi plangere non desinunt, qui jam virtutum pennas per exempla ad proximos tendunt.

24. In quibus verbis necesse est ut nos qui parvuli adhuc sumus perfectorum semper et virtutes et lacrymas ante mentis nostrae oculos ponamus. Imitemur quae in

fillis aspicimus, ut dum coeperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quae fecimus velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra poenitentia habemus sacerdotem in coelis, qui interpellat pro nobis. De quo etiam per Joannem dicitur: Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris (I Joan. II, 1). Ecce exsultat animus cum advocati nostri potentiam audimus. Sed exsultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis advocatus est dicitur justus. Nos enim causas injustas habemus, justus vero advocatus injustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid ergo agimus, charissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quae fecimus, et deseramus, et accusemus. Scriptum est: Justus in principio accusator est sui (Prov. XVIII, 17). Quilibet etenim peccator conversus in fletibus jam justus esse inchoat cum coeperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit qui contra suam injustitiam jam per lacrymas saevit? Justus igitur advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia nosmetipsos et cognoscimus et accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VIII.

A versu 24 quae supersunt capitis primi explicantur, cum initio capitis secundi; et de Christi divinitate, de verbi Incarnatione, de praedicatione, de Ecclesiae congregatione, multiplicatione, unitate, plurimis disseritur.

Quod per exempla justorum multi proficiunt, superioris locutionis fine tractatum est. Atque hoc ipsum

propheta nobis certius aperit cum his quae dixerat adjungit:

VERS. 24.--- Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum.

1. Solent in sacro eloquio per aquas, populi designari. Unde per Joannem dicitur: Aquae vero sunt populi (Apoc. XVII, 15). Idcirco autem aquis populus designatur, quia et in vita sonum habet ex tumultu carnis, et quotidie defluit ex decursu mortalitatis. Ut autem saepe jam diximus, alae sunt animalium, virtutes sanctorum. Quid est ergo quod propheta alarum sonum audit quas sonum aquarum multarum, nisi quod omnipotentis Dei pietate illae alae virtutum, quae in paucis prius sanctis sonabant, etiam nunc praedicatione diffusa, in multarum populorum conversatione resonant? Incarnato enim, passo, ac resurgente Domino, pauca pennata animalia fuerunt, quia rari valde exstiterunt, qui coelestia desiderarent, et virtutum pennis se in alta suspenderent. Sed postquam divinitatis ejus praedicatio in mundo diffusa est, quanti jam parvuli, quanti graviores, quanti fortes juvenes, quanti imbecilles, quantae conversae peccatrices, quantae anus virgines per fidem, per spem, per amorem ad coelestia evolant, quis dicere, quis aestimare sufficiat? Ecce alarum sonitus, qui prius in paucis animalibus fuit, jam nunc in populis resonat, jam nunc mundi multitudinem ad coeleste desiderium pennae virtutum levant. Bene ergo dicitur: Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quia, sicut praefati sumus, ille virtutum sonus qui in aurem Dei prius ex paucis sanctis factus est, postmodum ex aquis multis id est ex innumerabilibus est populis multiplicatus. De quo sono adhuc bene additur:

IBID.---Quasi sonum sublimis Dei.

2. Quid est quod alarum sonus in sanctis animalibus quasi sonus sublimis Dei dicitur, nisi quod omnipotens Deus et ipse implet mentes sanctorum coelesti desiderio, et ipse exaudit impletas? Ipse etenim creat in sanctorum cordibus amorem, et ipse ex amantibus cordibus precem suscipit. Negationem suam Petrus flevit amare, sed tamen illic praemittitur quia Jesus respexit Petrum (Luc. XXII, 61, 62). Venit Maria Magdalene post multas maculas culpae, ad pedes Redemptoris nostri cum lacrymis (Ibid., VII, 38); sed quis illam infudit intus, nisi qui benigne suscepit foris? Quis illam ad lacrymas urgebat per compunctionis spiritum, nisi qui hanc exterius coram simul recumbentibus recipiebat ad veniam? Redemptor igitur noster peccatricis mulieris mentem extrahebat cum de culpa compungeret, suscipiebat ut a culpa liberaret. Bene ergo iste alarum sonus quasi sonus sublimis Dei dicitur, quia quidquid in sanctorum virtutibus agitur, ejus est gratiae qui merita largitur:

3. Qui recte per prophetam sublimis Deus esse memoratur. In Scriptura etenim sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative enim dicitur, sicut scriptum est: Ecce constitui te deum Pharaonis (Exod. VII, 1). Et sicut Moyses ait: Si quis hoc vel illud fecerit, applica illum ad deos, videlicet ad sacerdotes (Exod. XXII, 8). Qui rursum dicit: Diis non detrahes (Ibid., 28), id est sacerdotibus. Et sicut Psalmista ait: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat (Psal. LXXXI, 1). Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ipse ad S. Moysen dicit: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob (Exod. III, 6). Unde Paulus apostolus volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est, dicens: Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula (Rom. IX, 5). Qui enim nuncupative dicitur Deus, inter omnia; qui vero essentialiter, Deus super omnia est. Ut ergo ostenderet Christum naturaliter Deum,

non hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memoravit, quia et electus quisque, sicut praemisimus, vel in exemplo justitiae praerogando positus dici Deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupative deus; Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus. Quem ergo Paulus Deum super omnia, hunc Ezechiel propheta Deum sublimem nominat. Postquam vero dictum est: Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quia adhuc additur: Quasi sonum sublimis Dei, etiam hoc intelligere possumus quod futurum electis omnibus scimus. Alarum etenim sonitus, sicut diximus, fuit in praedicatoribus sanctis: aquarum sonitus, in conversis et sequentibus populis. Sed idem ipse sonitus erit quandoque sonus sublimis Dei, quia multitudo, quae nunc ad fidem per sanctos doctores trahitur, quandoque in coelestem patriam congregabitur, ut ibi omnes electi sine fine laudent, cum viderint sine fine quem laudent. Et quia tunc perfecte corpus Redemptoris efficitur omnis multitudo sanctorum, juxta Pauli vocem dicentis: Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. VIII, 21); eique ita tunc inhaerent, ut eis de corruptione, quae per resurrectionem vincitur, jam nihil in suo sancto amore contradicat, sed unita gloriae sui Redemptoris fiat; recte dicitur: Quasi sonum sublimis Dei.

4. Notandus est ordo describentis, quia prius sonus ex alis animalium, qui postmodum quasi sonus aquarum multarum, ad extremum vero quasi sonus sublimis Dei dicitur. Quod enim prius praedicaverunt sancti, hoc postmodum crediderunt atque tenuerunt conversi ad fidem populi, qui ad extremum quoque liberatori omnium reddent laudem in coelestia sublevati. Sonus itaque animalium fit quasi sonus aquarum, et sonus aquarum fit quasi sonus sublimis Dei, quia laudem omnipotentis Domini, quam prius in mundo pauci, hanc postmodum multi clamaverunt. Et quam nunc multi clamant, cum adhuc eis in semetipsis sua corruptio repugnat, hanc in

coelestem patriam electi omnes suo jam capiti uniti resonabunt. Adhuc autem sanctorum animalium opera virtutesque describuntur, cum subditur:

IBID.---Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonitus castrorum.

5. Si per sonitum sublimis Dei laus nostri creatoris in coelesti patria designatur, mirandum non est quod rursus ad sanctorum opera in hac adhuc vita viventium propheticus sermo refunditur, quia sanctus Spiritus in corde prophetarum, quod simul ostendit intus, non simul ejicit per linguam foras. Aqua quippe scientiae qua prophetantis animus repletur, in contemplatione vehementer exuberat. Sed quia angustum est spiritui omne os hominis, id est foramen carnis, ad explendam illam immensitatemquae conspicitur, proferendo lingua variatur. Postquam ergo sonum alarum quasi sonum sublimis Dei esse conspexit in coelis, rursus ad terras redit, et pennata animalia quid hic agant loquitur, ut illic summo mereantur, dicens: Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonitus castrorum. Cum praedicatores sancti mundum praedicando et trahendo circumeunt, animalia ambulant. Et quia hi etiam quos colligunt, statim ut crediderint, in laudem nostri creatoris exsurgunt, fit sonus quasi sonus multitudinis. Et quia in praedicatione eadem bellum contra aereas potestates sumunt, recte subjungitur: Ut sonitus castrorum. Cum enim sanctis praedicatoribus fideles populi conjunguntur, contra malignos spiritus in procinctu fidei multitudines castrorum fiunt. Et dum quotidie fideles quique coelestibus desideriis replentur, terrena despiciunt, dura sibi pro amore supernae patriae proponunt, contra potestates aereas castra fiunt, quia armati fide et bonis operibus muniti gradiuntur. Quasi enim quibusdam castris spiritalis exercitus per Paulum dicitur: Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed

adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in coelestibus (Eph. VI, 11, 12).

5. Sanctorum ergo multitudines castra sunt; quae bellum contra potestates aereas susceperunt. Unde et sancta universalis Ecclesia ita sub specie dilectae describitur, ut dicatur: Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata (Cant. VI, 3). Quia enim Jerusalem pacis visio interpretatur, cujus nomine patria coelestis exprimitur, sancta Ecclesia suavis et decora ut Jerusalem dicitur, quia ejus vita et desiderium, visioni jam pacis intimae comparatur, ut in eo quod auctorem suum diligit, quod ejus speciem videre concupiscit, de quo scriptum est: In quem desiderant angeli prospicere (I Petr. I, 12), per ipsa jam amoris sui desideria angelis similis dicatur: quae quanto Deo amabilis efficitur, tanto agit ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem sit terribilis, subjuncta comparatione ostenditur, id est, Ut castrorum acies ordinata (Cant. VI, 5). Quid est quod sancta Ecclesia hostibus suis ut castrorum acies sit timenda? Non enim a magno intellectu vacat ista comparatio, et idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim et constat quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, ut locus vacuus per quem hostis possit ingredi dimittatur, profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritalis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per charitatem semper uniti atque constricti, et nunquam interrupti per discordiam inveniamur, quia quaelibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordiae locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos valeat hostis intrare.

7. Antiquus vero inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet, quia ipse nec carne premitur,

ut in ejus luxuria dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non utitur, qui necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia divitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id est amorem humilem quem nobis vicissim impendimus timet, et nimis concordiae nostrae invidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in coelo. Bene ergo dicitur: Terribilis ut castrorum acies ordinata (Cant. VI, 9), quia electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam unitos contra se et conglobatos aspiciunt.

8. Quanta autem sit concordiae virtus ostenditur, cum sine illa virtutes reliquae, virtutes non esse monstrantur. Magna enim est virtus abstinentiae; sed si quis ita ab alimentis abstineat, ut caeteros in cibo dijudicet, et alimenta eadem quae Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus etiam damnet (Rom. XIV, 3, 6), quid huic virtus abstinentiae facta est nisi laqueus culpae? Unde Psalmista quoque nullam esse abstinentiam sine concordia designans, ait: Laudate eum in tympano et choro (Psal. CL, 4). In tympano enim corium siccum resonat, in choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum nisi abstinentia, et quid per chorum nisi charitatis concordia designatur? Qui itaque sic abstinentiam tenet, ut concordiam deserat, laudat quidem in tympano, sed non laudat in choro. Et sunt nonnulli qui dum plus sapere quam necesse est student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut habetes stultosque contemnunt. Unde per se Veritas admonet, dicens: Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos (Marc. IX, 49), ut quisquis habere sal sapientiae studet, curet necesse est quatenus a pace concordiae nunquam recedat. Quod vero de his duabus virtutibus diximus, hoc de caeteris omnibus sentiendum est. Unde Paulus terribiliter admonet, dicens: Pacem

sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (Hebr. XII, 14).

9. Quia autem nil sine concordia Deo placeat. ipsa per se Veritas demonstrat, dicens: Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum (Matth. V, 23, 24). Ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite, quantum sit malum discordiae, propter quod et illud abjicitur, per quod culpa laxatur. Quia vero electi semper in charitate conjuncti sunt, et haec eadem eorum charitas sonum laudis reddit auctori, malignis vero spiritibus, id est antiquis suis hostibus poenam incutit timoris, recte nunc de pennatis animalibus dicitur: Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonitus castrorum.

10. Libet autem ab exortu sanctae Ecclesiae fidei oculo usque ad finem mundi tendere, et haec eadem castra quomodo ambulent videre. Castra enim multitudines appellantur exercitus, cum in procinctu pergunt, aut in certo quolibet loco in itinere demorantur. Castris ergo via est vita praesentis saeculi, omnibus concorditer viventibus sanctis. Alia autem sunt castra praedicantium, qui huc illucque pro colligendis animabus in sancti operis procinctu laborant. Alia castra continentium, atque ab hoc mundo recedentium, qui contra malignorum spirituum bella quotidie in corde se praeparant. Alia castra bonorum conjugatorum, qui viventes in amore omnipotentis Dei concorditer, sic vicissim sibi carnis debitum solvunt, ut tamen quid Deo de bonis operibus debeant, nullatenus obliviscantur. Sed et si qua ut homines delinquunt, haec incessanter piis actibus redimunt. Quia ergo distincti fidelium ordines, ab exortu sanctae Ecclesiae usque ad finem mundi concorditer viventes, contra potestates aereas dimicant,

castra ambulant; et fit quasi quidam castrorum sonitus, quia in eis ad laudem omnipotentis Dei et virtutum gladii et arma miraculorum sonant. De sanctis vero animalibus adhuc subditur:

IBID.---Cumque starent, demittebantur pennae eorum.

11. Stant sancta animalia quando ea quae Dei sunt intenta contemplatione considerant. Sed eorum pennae deponuntur, quia dum alta Dei judicia aspiciunt, suae eis virtutes vilescunt. Quod aperte exponitur cum statim subditur:

VERS. 25.---Nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas.

12. Firmamentum superius sub intellectu duplici judicavimus exponendum. Possunt enim, sicut dictum est (Hom. 1, n. 18, 19), firmamenti nomine coelestes potestates intelligi. Et potest firmamenti nomine incarnatus Unigenitus, per hoc quod in eum natura nostra ad aeternitatem firmata est, designari. Prius ergo quid sentimus de angelis, et postmodum de Domino angelorum, loquamur. Ecce enim dicitur: Cum fieret vox super firmamentum, stabant, et submittebant alas suas. Quo in loco, hoc primo sciendum est, quia submittere, non ab inferiori ad superiora tendere, sed a superiori ad inferiora alas deponere debet intelligi, propter hoc quod praemissum est: Cum starent demittebantur pennae eorum. Quaerendum itaque nobis est quae sit vox quae super firmamentum fit. Sed eamdem vocem melius intelligimus, si, ab imis ad superiora gradientes, quasi quibusdam passibus ascendamus. Sicut auditus corporis excitatur voce, ita sensus mentis excitatur intellectu, qui de interioribus agitur. Vox ergo est in mente, quasi quidam sonus intelligentiae. Sed sciendum est quia

nostris sensibus aliquando vox carnis loquitur, aliquando vox animae, aliquando vox firmamenti, aliquando vox quae super firmamentum est.

13. Ponamus enim ante oculos quod quispiam sit laesus a proximo, qui ex humana ratione cogitat ut vicem laesioni reddat, malum pro malo retribuat, huic vox carnis loquitur in mente, quia cum divina mandata praecipiant bene nos facere his qui nos oderunt (Matth. V, 44), quisquis malefacere se odientibus cogitat, in ejus animo vox carnis sonat. Multa terrena quotidie agimus, post haec ad orationem redimus. Accenditur ad compunctionem animus, sed earum rerum quas egimus imagines versantur in mente, et intentionem compunctionis praepediunt in oratione; et quod volentes foris egimus, hoc interius patimur inviti, ut quaedam cogitationum phantasmata mentem per imagines corporeas dispergant, ne stricte totam in oratione se colligat. Haec quoque vox carnis est.

14. Cum vero et ista subigimus, atque ab oculis mentis cunctas corporeas imagines effugamus, ipsam in nobismetipsis naturam animae quaerentes, qualis sit quae carnem vivificare potest, sed semetipsam stringere in bonis cogitationibus sicut desiderat non potest, invenimus quemdam intellectualem spiritum per creatoris potentiam viventem, corpus quod sustinet vivificantem, sed tamen oblivioni subditum, mutabilitati subjectum, quem saepe timor afficit, laetitia extollit. Ipse itaque intellectus animae vox ejus est, quia sonat quod est, quae tamen adhuc vox sub firmamento est.

15. Sed transcendentes animam, vocem de firmamento quaerimus, cum illa sanctorum angelorum innumera multitudo in omnipotentis Domini conspectu qualis sit investigamus, quae sit in eis sine fine festivitas visionis Domini, quae laetitia sine defectu, qui amoris ardor non crucians, sed delectans; quantum in eis sit

desiderium visionis Dei cum satietate, et quanta satietas cum desiderio. In quibus nec desiderium poenam generat, nec satietas fastidium parit. Quomodo inhaerendo beatitudini sint beati, quomodo contemplando semper aeternitatem sint aeterni, quomodo conjuncti vero lumini facti sint lux, quomodo aspicientes semper incommutabilem mutati sint in incommutabilitatem. Sed cum ista de angelis cogitamus, adhuc vox de firmamento est, non super firmamentum.

16. Transeat ergo animus, et ab ipsis transcendat omne quod creatum est. In solo creatoris sui lumine fidei oculos figat, quod unus vivificet omnia qui creavit Deus; quod ubique est et ubique totus est; quod incircumscriptus et incomprehensibilis sentiri potest, et videri non potest; quod nusquam deest, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est; quod nec ibi deest, ubi longe est, quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam; quod omnia tangit, nec tamen aequaliter omnia tangit. Quaedam enim tangit ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant, sicut sunt cuncta insensibilia. Quaedam tangit ut sint, vivant, et sentiant, nec tamen ut discernant, sicut sunt bruta animalia. Quaedam tangit ut sint, vivant, et sentiant, et discernant, sicut est humana et angelica natura. Et cum ipse nunquam sibimetipsi sit dissimilis, dissimiliter tamen tangit dissimilia. Quod ubique praesens est, et inveniri vix potest; quod stantem sequimur, et apprehendere non valemus. Ponamus ergo ante oculos mentis quae illa natura sit quae tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Nec alia ex parte sustinet, atque alia superexcedit; neque alia ex parte implet, atque alia circumplectitur; sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet. Hujus naturae potentiam cum strictus in ea cogitat animus, vox super firmamentum fit, quia ejus intellectum concipit, qui et angelorum sensum sua incomprehensibilitate transcendit.

17. Cum ergo vox super firmamentum fit, stant animalia, et submittunt alas suas, quia sanctorum mentes cum creatoris sui potentiam intenta contemplatione considerant, vilescunt eorum animo virtutes quas habent; et tanto fiunt apud se humiles, quanto eis illud altum est quod super angelos sonat. Fortasse enim doctores sunt; sed cum coeperint tacita mente cogitare quae sit ineffabilis Dei sapientia, quae mentes hominum sine strepitu verborum docet, et quomodo haec eadem sapientia si auditorum mentes non doceat, vox docentium vacue laborat, sua eis doctrina protinus vilescit, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I Cor. III, 7). Fortasse prophetae sunt; sed cum tacita mente considerant quia prophetiae suae oculo simul omnia Divinitatis mysteria penetrare non possunt, quoniam sicut ait Apostolus: Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus (I Cor. XIII, 9), in illa immensitate secretorum vident quia parum est omne quod vident, atque ex ipsa immensa altitudine luminis considerant quam minus sit illud quod intento oculo quasi per rimas viderunt. Deponant ergo alas suas, cum vox super firmamentum fit, id est humilientur in eo quod apprehendunt cum superna conspiciunt quae ab eis comprehendi non possunt.

18. Saepe etiam sanctorum cogitationibus ipsa quae habent bona blandiuntur, ut eorum mentes in aliqua sui fiducia elevent; sed protinus ad occulta Dei judicia, recurrunt, quomodo alii ex virtutibus ad infernum per elationem corruunt, alii ex vitiis correcti ad coelum per humilitatem levantur. Unde nos ad humilitatem revocans Propheta terret et admonet, dicens: Venite, et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum (Psal. LXV, 5). Quis enim digne considerare valeat quantus super nos terror sit consiliorum Dei, quando et alter ex virtutibus in finem tendit ad vitia, et alter ex vitiis in virtutibus concludit finem? Quia juxta

Salomonis vocem: Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei. Nec tamen scit homo utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futuro servantur incerta (Eccle. IX, 1), Et: Est via quae videtur hominibus recta, et novissimum ejus ducit ad mortem (Prov. XIV, 12). Haec itaque occulti judicii profunda cogitare, quid est aliud quam alas deponere, id est de nulla jam virtute confidere, sed sub magno timore trepidare? Sive enim omnipotentis Dei naturam considerent, sive ejus judicia perpendant, trepidant, pertimescunt. Eis ergo quasi alas deponere est virtutes quas habent humiliare.

19. Sic Abraham alas deposuit, qui quando loqui cum Deo coepit, pulverem et cinerem se esse cognovit dicens: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (Genes. XVIII, 27)? Sic Moyses alas deposuit, qui eruditus omni scientia Aegyptiorum (Act. VII, 22), mox ut verba Domini audivit, verba se non habere deprehendit, dicens: Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius. Ex quo enim locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum (Exod. IV, 10). Ac si aperte diceret: Postquam a te verba vitae audio, confusum me in verbis prioribus agnosco. Sic Isaias, cujus vita Domino ad praedicandum placuerat, cum, eumdem Dominum contemplatus, carbone de altari in ore tactus est, ait: Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum (Isai. VI, 3). Ecce ad superiora sublevatus, sibimetipsi de labiorum pollutione displicuit. Nisi enim coelestis munditiae alta conspiceret, esse se judicabilem non invenisset. Sic loquente Domino Jeremias clamat: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum (Jerem., I, 6). Juxta enim ea verba quae audiebat verba se non habere cognoverat. Sic Daniel sublimem visionem videns, per plurimos dies elanguit et aegrotavit (Dan. VIII, 27), quia hi qui in virtutibus fortes sunt, cum altiora Dei conspiciunt, in sua sibimet aestimatione infirmi atque imbecilles fiunt. Sic beatus Job, de quo Dominus amicis illius dixit: Non estis locuti coram me rectum, sicut servus

meus (Job. XLII, 7), cum verba Dei colloquentis audiret, respondit, dicens: Insipienter locutus sum, et quae ultra modum excederent scientiam meam (Ibid., 3). Et paulo post: Idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere (Ibid., 6). Qui enim quantum ad homines sapienter locutus fuerat, loquentem sibi Deum audiens, insipienter se locutum fuisse reprehendit, quia in contemplatione verae sapientiae sua ei sapientia viluit. Ad vocem ergo desuper venientem animalia alas deponunt, quia virtutem Dei sive in natura sua contemplari requiramus, sive in occultis judiciis investigare cogitemus, pro eo quod ejus alta nobis impenetrabilia sunt, nostra nobis si qua inesse bona credebantur vilescunt. Et qui in quantulacunque scientia volare credebamur, invisibilem super nos naturam, et impenetrabilia ejus judicia perpendentes, submissis alis humiliter stamus. Sequitur:

VERS. 26.---Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni; et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.

20. Quid per thronum nisi illae virtutes angelicae designantur, quae ipsos quoque angelos dignitate loci superioris excedunt? Nam cum angeli nuntii dicantur, et saepe angeli ad annuntianda quaedam hominibus veniant, throni missi ad ministerium nuntii nusquam leguntur, quia eis longe sublimius creator omnium praesidet. Unde Paulus apostolus ordines coelestium agminum, quos ad tertium coelum raptus viderat, describens, ait: Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt (Col. I, 16). Thronos igitur ante eos angelorum ordines dixit, quibus illos praelatos esse cognovit. Bene autem thronus lapidi sapphiro comparatur, quoniam lapis sapphirus aereum habet colorem. Virtutes ergo coelestium lapide sapphiro designantur, quia hi spiritus,

quibus Deus omnipotens altius praesidet, superioris loci in coelestibus dignitatem tenent. Super thronum vero similitudo hominis, quia et super illas virtutes, quae et ipsos angelos antecedunt, nostri est gloria Redemptoris. Notandum ergo qui ordo servatur. Super animalia enim firmamentum, super firmamentum thronus, super thronum homo esse describitur, quia et super sanctos homines adhuc in hac corruptione corporis viventes angeli, et super angelos superiores et Deo proximae angelicae potestates, super potestates vero Deo proximas elevatus est Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.

21. Sin vero, ut praediximus, firmamenti nomine Mediator Dei et hominum pro assumpta humanitate debet intelligi, quia sub unius nominis appellatione solent per prophetiae spiritum multa signari, vox super firmamentum facta est, quae super baptizatum Dominum de coelo sonuit, dicens: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui (Luc. III, 22). Vel sicut per evangelistam alium dicitur: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (Matth. III, 17). Quaeramus igitur quomodo hanc vocem animalia audiunt, et alas deponunt. Habacuc propheta requisitus dicat: Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi (Habac. III, 1). Quid est autem quod Pater de Filio loquitur, dicens: In quo mihi complacui? Omnis enim qui poenitendo corrigit aliqua quae fecit, eo ipso quod poenitet, se sibi displicuisse indicat, quia emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab hominibus poterat, humano modo de peccatoribus locutus est, dicens: Poenitet me fecisse hominem super terram (Genes. VI, 6), quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus quos creavit. In solo autem sibi unigenito Domino nostro Jesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse eum non poenituit, in quo peccatum nullum omnimodo invenit, sicut de illo per Psalmistam dicitur: Juravit Dominus et non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Psal. CIX, 4). In solo ergo sibi Redemptore

nostro complacuit Pater, quia in eo solo non invenit culpam, in qua se reprehendat quasi per poenitentiam.

22. Sancta itaque animalia vocem super firmamentum audiant, et pertimescant, quia si solus sine peccato est, in ejus innocentia aspiciunt in quantis ipsa quotidie delinquant, quae necesse est ut incessanter defleant. Considerent quoque quia et ipse auctor vitae sine passionis dolore ex hac vita non exiit. Et haec ergo vox super firmamentum facta est, quia omnipotentis Patris sententia etiam de morte ac resurrectione Unigeniti processit. Sed cum vox super firmamentum fit, stant animalia, et submittunt alas suas, quia sancti quique cum ipsum quoque Unigenitum flagellatum in hoc mundo conspiciunt, deponunt si quid de suis meritis praesumunt. Nam si ipse hinc sine flagello non exiit, qui venit sine peccato, quomodo flagellis digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt? Ipsum ergo firmamentum, quod est super caput animalium, id est quod transcendit mentes sanctorum, habet super se vocem, quia Redemptor noster eam quam cum Patre disposuit ex divinitate sententiam pertulit in carne, quam audientes justi terrentur, et omnem de suis viribus praesumptionem deponunt. Quibuslibet etenim virtutibus polleat, quid digna est vita peccatorum, si et ejus vita pro nobis flagello subjacuit, quae subdita nulli peccato fuit?

23. Sed ecce gravis nobis quaestio oritur, cum dicitur quia super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni. Si enim per firmamentum Dominus, et per lapidem sapphirum, et similitudinem throni summae illae potestates angelicae figurantur, quomodo super firmamentum, id est super Dominum esse credendae sunt, cum et mox subditur: Et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper? Nam si ita, ut dictum est, per firmamentum exprimitur Dominus, et rursus homo accipitur Dominus, qua ratione potest

intelligi et ipse super thronum, et ipse sub throno? Sed astrictos hujus quaestionis nodos ipse solvit, de quo loquimur, qui afflatu sancti Spiritus ea quae clausa sunt aperit. Incarnatus enim Unigenitus Patris per hoc quod homo factus est, infra angelos fuit, sicut de eo scriptum est: Minuisti eum paulo minus ab angelis (Psal. VIII, 6). Resurgens autem et ascendens in coelos, omnibus angelicis potestatibus praesidet, sicut de eo illic rursum scriptum est: Omnia subjecisti sub pedibus ejus (Ibid., 7). Et sicut ipse ait: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra (Matth. XXVIII, 18). Firmamentum ergo sub throno, et homo super thronum est, quia per humanae assumptionem naturae et ipse est sub angelis natus, et ipse super angelos exaltatus. Qui et priusquam per resurrectionis exaltaretur gloriam, divinitate super angelos fuit; sed tamen ab angelis, ut dictum est, humanitate minoratus, ex qua morti subjacuit. At postquam mortem resurgendo calcavit, humanitatem suam etiam majestatibus archangelorum superposuit. Prius itaque thronus super firmamentum, et post homo super thronum visus esse describitur, quia humani generis Redemptor humanitatem, quam descendendo sub angelis assumpsit, ascendendo super angelos exaltavit. Sic vero factum eum sub angelis dicimus, sicut factum sub lege, praedicante Apostolo, audivimus (Philip. II, 9). Assumptam ergo humanitatem sub angelis accipimus pro ea minoratione in qua dignatus est apparere.

24. Nam mox ut Verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est: Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei (Joan. I, 15; Matth. IV, 11). Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est: Apparuit illi angelus de coelo, confortans eum (Luc. XXII, 43). In documento ergo utriusque naturae huic et angeli ministrare, hunc et angelus confortare describitur. Unus quippe in utraque natura, quoniam qui Deus ante saecula exstitit, homo factus est in fine

saeculorum. Cui tamen ante passionem suam et angeli ministrant, et hunc angelus confortat. Post passionem vero atque resurrectionem ejus, huic angeli ministrare possunt, sed jam hunc confortare non possunt, quia, ut praedictum est, etsi prius firmamentum sub throno apparuit, jam tamen homo super thronum est. In cujus persona, ut propheta sanctus adunationem utriusque naturae se vidisse ostenderet, protinus adjunxit:

VERS. 27.---Et vidi quasi speciem electri.

25. Quid est quod aspectus hominis videtur in throno quasi species electri, nisi quod in electro, sicut longe superius diximus (Supra hom. 2, n. 14), aurum argentumque miscetur, ut res una ex metallis duobus fiat? In qua et per argentum auri claritas temperatur, et per auri claritatem species clarescit argenti. In Redemptore autem nostro utraque natura, id est divinitatis et humanitatis inconfuse ac inseparabiliter unita sibimet atque conjuncta est ut et per humanitatem divinitatis ejus claritas nostris posset oculis temperari, et per divinitatem humana in eo natura claresceret, atque exaltata fulgorem ultra hoc quod creata fuerat haberet. Ipse vero aspectus hominis super thronum, et species electri quam vidit qualis ei apparuerit adhuc describens subjungit:

IBID.---Velut aspectus ignis intrinsecus per circuitum, a lumbis ejus et desuper; et a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.

26. Quid est quod Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus a lumbis et desuper aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, et a lumbis et deorsum speciem ignis splendentis in circuitu? Investigandum namque est quare a lumbis et desuper ignem intrinsecus, nec tamen splendentem ignem habere narratur; a lumbis vero et deorsum habere ignis speciem dicitur, non tamen hunc habere intrinsecus memoratur,

quia et splendentem et in circuitu hunc habere describitur. Quid enim lumborum nomine, nisi propago mortalitatis exprimitur? Propter quod etiam de Levi dicitur quia adhuc in lumbis patris erat cum Melchisedech occurrit Abrahae (Hebr. VII, 10). De lumbis vero Abrahae virgo Maria exiit, in cujus utero Unigenitus Patris per Spiritum sanctum incarnari dignatus est. Ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus, sicut per Psalmistam dicitur: Accingere gladium tuum circa femur tuum, potentissime (Psal XLIV, 4). Gladium etenim circa femur potentissimus sumpsit, quia sermo praedicationis illius ex incarnatione convaluit. Quid vero iste ignis designat, nisi ardorem sancti Spiritus, qui corda quae repleverit incendit? De quo ipsa Veritas dicit: Ignem veni mittere in terram (Luc. XII, 49). Quid est ergo quod in hoc aspectu hominis qui prophetae apparuit a lumbis superius intrinsecus per circuitum ignis ardet, a lumbis vero inferius non ignis intrinsecus, sed in circuitu resplendet, nisi quod ante incarnationem unigeniti Redemptoris nostri, sola intra se Judaea ardorem amoris ejus habuit; post incarnationem vero illius in circuitu ejus ignis resplenduit, quia in universo mundo gentibus claritatem sancti Spiritus effudit? Prius ergo ignis intrinsecus erat, sed splendor non erat, quia Spiritus sanctus in multis quidem patribus Judaeam replebat, sed ad notitiam gentium necdum ejus lumen emicuerat. A lumbis vero ejus et deorsum ignis in circuitu splendet, quia postquam de Virgine carnem sumpsit, in humano genere longe lateque sancti Spiritus dona dilatavit. Et notandum quod ignis iste a lumbis superius per circuitum esse describitur, non extrinsecus sed intrinsecus, quia amoris flamma, sicut dictum est, in electis atque spiritalibus viris ubique in suis finibus Judaeam replevit. Nec tamen exibat extrinsecus, quia sese in multitudinem gentium non dilatabat. Quae ardoris flamma visa est postmodum in circuitu splendere, quia per mundi cardines in universis gentibus omnipotentis Dei coepit amor excrescere.

27. Erat ergo prius ignis intrinsecus, cum Jacob diceret: Salutare tuum exspectabo, Domine (Genes. XLIX, 18). Quod enim salutare dicimus Latine, hoc verbo Hebraico Jesus dicitur. In quo verbo beati Jacob mens ostenditur quomodo Jesu desiderio ardebat, quem se moriens exspectare perhibebat. Ardebat ignis cum Moyses diceret: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, ut videam te (Exod. XXXIII, 13). Ardebat ignis in mente cum David diceret: Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam et parebo ante faciem Dei mei? (Psal. XLI, 3.)? Qui incarnationem Verbi desiderans, ait: Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis (Psal. LXXXIV, 8). Ardebat ignis cum Simeon, de corruptione vitae praesentis exire desiderans, audivit non prius visurum se mortem, nisi videret Christum Domini (Luc. II, 26). Sed ecce jam ignis iste quasi sub lumbis exterius resplendet, quia universa gentilitas incarnati Dei est amore succensa.

28. Quod tamen intelligi et aliter potest, quia Redemptor noster Deus Dominus Jesus Christus per humanitatem suam hominibus innotuit, qui per divinitatem notus angelis et ante incarnationem fuit. Nobis ergo a lumbis inferius resplendet in circuitu, cujus ignis intrinsecus a lumbis superius ardet in coelo, quia illi coelestes spiritus eum in divinitate sua conspiciunt, et amoris ejus ignibus accenduntur. Nos vero, qui hunc ex assumpta humanitate diligimus, adhuc in hac corruptibili vita positi, splendorem ignis illius foris habemus. Unus itaque super thronum est, qui et super lumbos ignem intrinsecus habet in angelis, et sub lumbis ignem in circuitu habet in hominibus, quia in omne quod ab angelis amatur, per omne quod ab hominibus desideratur, unus est qui in cordibus ardet amantium. Hinc est enim quod magnae illae potestates angelicae Seraphin, id est incendium, nominantur. Hinc de ipso omnium Creatore scriptum est: Deus noster ignis consumens est (Hebr. XII, 29; Deut. IV, 24). Ignis enim Deus dicitur, quia flammis

amoris sui incendit mentes quas replet. Et idcirco seraphin incendium dicuntur, quia potestates ei proximae in coelis inaestimabili amoris ejus igne succensae sunt. Ex hoc igne succensa ardent in terra corda justorum. Hoc igne calefacta redeunt ad poenitentiam corda peccantium, quae inflammata vehementer timorem in amorem vertunt. Nam quae prius tabescere metu coeperant, postmodum igne amoris flagrant. Et quia ejus membra sunt electi angeli in coelo, ejus membra sunt conversi homines in terra; unus homo est qui et super lumbos ardet intrinsecus, et sub lumbis inferius ignis sui splendorem in circuitu emittit, quia et angelos ad amorem suum per divinitatem tenuit, et homines ad sancti ardoris sui desiderium ex humanitate revocavit. Sequitur:

VERS. 28.---Velut aspectus arcus, cum fuerit in nube in die pluviae.

29. Arcum omnipotens Deus inter se atque homines in signo posuit, ut ultra mundum diluvio non deleret, dicens: Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me et inter terram. Cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor foederis mei vobiscum (Genes. IX, 13). Unde et in arcu eodem color aquae et ignis simul ostenditur, quia et ex parte est coeruleus, et ex parte rubicundus, ut utriusque judicii testis sit, unius videlicet faciendi, et alterius facti, sed quia mundus quidem judicii igne cremabitur, sed jam non ulterius faciendi, aqua jam diluvii non deletur (II Petr. III, 7). Quid est autem quod splendentem ignem a lumbis hominis throno praesidentis, sicut aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluviae, propheta conspexit? Quia enim per ignem, sicut dictum est, ardor sancti Spiritus designatur, quae similitudo est arcus et spiritus ut ignis qui apparuit quasi aspectus arcus apparuisse diceretur? Sed si ipsi quam praediximus visioni arcus intendimus, quomodo arcus significet spiritum videmus. In arcu quippe, sicut praefatus sum,

aqua et ignis apparent. Et post Mediatoris adventum, eo virtus Spiritus sancti in humano genere claruit, quo electos Dei et aqua baptismatis lavit, et igne divini amoris incendit. Quasi enim admisto colore aquae simul et ignis quidam arcus in nube ad propitiationem ponitur, cum Veritas dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. III, 5). Qui arcus in nube est in die pluviae, quia in dominica incarnatione, et in effusione praedicationis ostenditur, ut ad veniam corda credentium, Domino parcente, revocentur. Nubem enim Redemptoris carnem non inconvenienter accipimus, de qua per Psalmistam dicitur: Qui ponit nubem ascensum suum (Psal. CIII, 3). Nubem quippe ascensum suum posuit, quia is qui divinitate ubique est, carne ad coelestia ascendit. Expleta vero omni mystica visione, subjungit:

IBID., ET CAP. II, VERS. 1.---Hic erat aspectus splendoris per gyrum, et haec visio similitudinis gloriae Domini.

30. Quid enim in universo mundo sancti Spiritus gratia agat aspiciens, ait: Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Quae vero interius ejusdem sancti Spiritus gloriae maneat, considerare volens, sed sicut erat non valens, subjungit: Et haec visio similitudinis gloriae Domini. Non enim ait: Visio gloriae, sed similitudinis gloriae, ut videlicet ostendatur quia quantalibet se intentione mens humana tetenderit, etiamsi jam phantasias imaginum corporalium a cogitatione compescat, si jam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet sicut est. Sed quidquid de illa est quod in mente resplendet, similitudo, et non ipsa est. Unde et ille praedicator qui raptus usque ad tertium coelum fuerat dicebat: Videmus nunc per speculum in aenigmate (I Cor. XIII, 12).

31. Qua in re non despicienda nobis quaestio oritur, quomodo Joannes evangelista, cum erga miracula Redemptoris nostri Judaeorum perfidiam etiam ex verbis propheticis descripsisset, adjungit, dicens: Haec dixit Isaias quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo (Joan. XII, 41). [a 1Kb]  Et si Ezechiel non gloriam, sed gloriae similitudinem vidit, quid est quod iste similitudinem gloriae, et ille ejus gloriam vidisse describitur? Sed cum Joannes evangelista prius miracula Redemptoris nostri narravit, atque infidelitatem Judaeorum postmodum subdidit, hanc ejusdem Redemptoris nostri gloriam, quae in mundo apparuit, Isaiam vidisse manifestat. Omne enim quod in terra mirum divinitus agitur gloria omnipotentis Dei est, et ejus gloria in omnibus factis videtur. Isaias ergo ejus gloriam in terra vidit; Ezechiel vero ejus gloriam in coelo, sicuti est, videre non potuit, quia aliter est gloria ejus in rebus factis, atque aliter in semetipso. Haec ergo ejus gloria quae in rebus est videri potest, illa vero quae in ipso est videri modo nisi per similitudinem non potest. Sed hanc eamdem similitudinem gloriae quia propheta vel sublevatus portare non potuerit cognoscamus. Sequitur:

IBID.---Et vidi, et cecidi in faciem meam.

32. Quid ergo de hoc viro fieret, si ita ut est ejus gloriam vidisset, qui similitudinem gloriae illius videns, sed ferre non valens, cecidit? Qua in re cum magno moerore pensare et considerare cum lacrymis debemus in quantam miseriam et infirmitatem cecidimus, qui et ipsum bonum ferre non possumus ad quod videndum creati sumus. Est tamen et aliud quod de prophetae facto consideremus in nobis. Propheta enim mox ut gloriae Domini similitudinem vidit, in faciem suam cecidit. Cujus similitudinem gloriae quia nos per spiritum prophetiae videre non possumus, hanc assidue cognoscere et sollicite contemplari in sacro eloquio, in coelestibus monitis, in praeceptis spiritualibus debemus. Qui cum aliquid de Deo

conspicimus, in faciem nostram cadimus, quia ex malis erubescimus, quae nos meminimus perpetrasse. Ibi enim cadit homo, ubi confunditur. Unde et Paulus quasi quibusdam in facie jacentibus dicebat: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis (Rom. VI, 21)?

33. Ecce coelestis gratiae dono largiente, obvolutum mysteriis libri initium in Ezechiel propheta discussimus, et dicta mystica mortaliter disserentes, volantem prophetiae theoriam ad terram traximus, ut quae prius parvulorum animis mihique similium volabat, sed non elevabat, jam nunc ab eis legatur et cognoscatur, et volet et levet. Agamus ergo gratias Redemptori nostro, qui spiritali semper alimento nos reficit, qui panis vivus descendit de coelo, et dat vitam mundo (Joan. VI, 33). Qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IX.

Ezechielis caput secundum explanatur; qua in expositione non solum multa moraliter explicantur, sed etiam non pauca de gratiae praevenientis necessitate, de liberi arbitrii consensu et cooperatione, de sacrae Scripturae obscuritate et interpretatione doctissime edisseruntur.

1. Initium libri in Ezechiel propheta magnis obscuritatibus clausum, et quibusdam mysteriorum nodis ligatum, in homiliis octo, Domino nostro Jesu Christo largiente, discussimus. Jam nunc planiora sunt, et minus difficilia quae sequuntur. Charitati itaque vestrae colloquimur, eidem omnipotenti Deo gratias referentes, quia post tot opaca silvarum, tandem laeti ad campos exivimus, in quibus liberis gressibus locutionis nostrae intrepidum pedem ponamus. Ecce enim postquam propheta similitudinem gloriae Domini contemplatus, in

faciem suam cecidit, adjungit:---EZECH. II, 1.---Et audivi vocem loquentis, et dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. Ubi adhuc subditur:

VERS. 2.---Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me super pedes meos.

2. Ecce divina vox jacenti prophetae jussit ut surgeret. Sed surgere omnino non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset, quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed haec implere non possumus, si ipse non adjuvat qui jubet. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens, Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini (Philip. II, 12), illico quis in eis haec ipsa bona operaretur adjunxit, dicens: Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate (Ibid., 13). Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit: Sine me nihil potestis facere (Joan. XV, 5). Sed in his considerandum quia sic bona nostra si omnipotentis Dei dona sunt ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis aeternam retributionem quaerimus? Si autem ita nostra sunt ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est quia mala nostra solummodo nostra sunt; bona autem nostra, et omnipotentis Dei sunt, et nostra, quia ipse aspirando nos praevenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quae volumus. Praeveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est fit meritum nostrum. Quod bene Paulus brevi sententia explicat, dicens: Plus illis omnibus laboravi (I Cor. XV, 10). Qui ne suae videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum (Ibid.). Quia enim coelesti dono praeventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens: Non autem ego. Sed quia praeveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bonum, quo libero arbitrio eamdem gratiam est

subsecutus in opere, adjunxit: Sed gratia Dei mecum (Ibid.). Ac si diceret: In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In hoc enim quod solo Domini dono praeventus sum, non ego; in eo autem quod donum voluntate subsecutus, et ego. His igitur breviter contra Pelagium et Coelestium dictis, ad exponendi ordinem redeamus. Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum (Ezech. II, 1).

3. Notandus nobis est ordo locutionis et operis, quia prius similitudo gloriae Domini apparet ut dejiciat, postmodum alloquitur ut elevet, deinde superabundantis gratiae spiritum mittit et levat, ac supra pedes statuit. Nisi enim aliquid de aeternitate in mente videremus, nunquam in faciem nostram poenitendo caderemus. Sed jam jacentes vox Domini consolatur ut in opere surgamus, quod tamen nos facere nostra virtute non possumus. Ipsius ergo non spiritus implet et levat, et super pedes nostros statuit, ut qui proni in poenitentia pro culpa jacuimus, recti postmodum in bono opere stemus. Sed stans propheta quid audierit adjungit, dicens:

VERS. 2, 3.---Et audivi loquentem ad me, et dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me.

4. Sic propheta describit sua, ut significet nostra. Nam quid est hoc (I p., dist. 30) quod ei jacenti dicitur: Sta super pedes tuos, et loquar tecum? Qui enim jacenti loquebatur, cur non se nisi stanti promittit esse locuturum? Sed sciendum quia alia sunt quae jacentes, alia quae stantes audire debeamus. Jacenti enim dicitur ut surgat, stanti autem praecipitur ut ad praedicationem proficisci debeat. Adhuc enim in infirmitatis confusione jacentibus praeberi non debet auctoritas praedicationis. Sed cum jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare coeperimus, dignum est ut ad lucrandos alios in praedicationem mitti debeamus. Stans ergo propheta

visionem spiritalem vidit, et cecidit; cadens vero jam monitionis verbum suscepit ut surgeret, surgens autem praeceptum audivit ut praedicaret. Nam qui adhuc ex superbiae vertice stamus, cum jam de aeternitatis timore aliquid sentire coeperimus, dignum est ut ad poenitentiam cadamus. Et cum infirmitatem nostram subtiliter cognoscentes humiliter jacemus, per divini verbi consolationem surgere ad fortia opera jubemur. Et cum jam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est ut unde nosmetipsos correximus, inde jam praedicantes et alios levemus. Jacenti ergo non praecipitur ut ad praedicationem pergat, ne infirmus quisque hoc quod verbo aedificare potest opere destruat. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur: Eduxit me de lacu miseriae, et de luto faecis; statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos; et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro (Psal. XXXIX, 3, 4). Prius enim de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes per fidem in petra solidentur. Sed quia rectam fidem recta subsequi debet operatio, gressus ejus directi sunt, ut post directionem gressuum, id est post perfectionem boni operis, in ore acciperet etiam novum canticum praedicationis. Sic Saulus, dum superbus Damascum pergeret (Act. IX, 6), Redemptoris voce prostratus jacuit. Et qui praedicator futurus erat, non tamen mox ut praedicaret quod viderat audivit, sed ei jacenti dicitur: Ingredere in civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere (Ibid., 7). Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret quod audiret; surgens vero hoc didicit, ut quae cognoverat praedicaret.

5. Sed quaerendum nobis est cur Ezechiel et Paulus in faciem cadunt, et de ascensore equi, id est de eo qui in hujus mundi gloria elatus est, dicitur: Ut cadat ascensor ejus retro (Genes. XLIX, 17)? Rursumque de persecutoribus Domini scriptum est: Abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (Joan. XVIII, 6). Quid est hoc, quod electi in faciem, et reprobi retrorsum cadunt, nisi

quod omnis qui post se cadit ibi procul dubio cadit, ubi non videt; qui vero ante se ceciderit, ibi cecidit, ubi videt? Iniqui ergo quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequatur modo videre non possunt. Justi vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt, ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia, timore compuncti, videntes humiliantur.

6. Notandum vero quod dicitur: Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me. Sicut enim duobus modis a Deo receditur, ita duobus modis a Deo apostatae homines fiunt. Nam unusquisque a conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui a fide recedit apostata est, ita qui ad perversum opus quod deseruerat redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubietate deputatur, etiamsi fidem tenere videatur. Unum enim sine altero nil prodesse valet, quia nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant; sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri quam fidelis existeret (Act. X, 4). Qua ex re colligitur quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab angelo dicitur: Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei (Ibid.), et mox pro eadem ascensione praecipitur ut ad Simonem mittat, qui ei veniens praedicare debeat, constat quia hoc petiit, unde meruit exaudiri. Sequitur:

VERS. 3, 4.---Patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura facie et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.

7. Ecce est una culpa superbiae, quia praevaricati sunt pactum. Ecce altera obstinationis, quia usque ad diem hanc. Ecce in iniquitate filiorum culpa gravis imprudentiae, quia dura facie, quoniam mala quae faciunt, jam non erubescunt, et nunquam vel post culpas

ad poenitentiam redeunt, quia indomabili corde sunt. Cum vero tantae pravitatis, tantaeque obstinationis sint hi ad quos propheta mittitur, quis jam non videat, quia persona prophetae a tam perversis hominibus despici valeat? Sed ecce auctoritas personae tribuitur, cum subditur:

VERS. 4.---Et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus.

Ac si aperte diceretur: Quia ex te despicieris, ex mea voce necesse est ut loquaris. Ne contemnaris ipse qui mitteris; verba mea proferens, ostende qui misit. Sequitur:

VERS. 5.---Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quia domus exasperans est.

8. Dum constat quod omnipotens Deus omnia sciat, mirandum valde est cur dicatur: Si forte audiant, et si forte quiescant. Quapropter sciendum nobis est quia ista dubitatio locutionis Dei non ex ignorantia, sed ex aliqua significatione descendit. Nam quis nesciat quod qui fecit et videt omnia, omnia sciat? Et per semetipsam in Evangelio Veritas de Antichristi praedicatoribus dicit: Dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (Matth. XXIV, 24). Cur hoc sub dubitatione dicitur, cum quid futurum sit a Domino praesciatur? Unum vero e duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest; si autem fieri potest, electi non sunt. Et tamen dicitur: Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ista ergo Dominici sermonis dubitatio, ex electorum cordibus designatio tentationis fuit, quia qui electi sunt ad persistendum, per signa praedicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur, Si fieri potest, hoc exprimitur, quod electi in corde tentabuntur. Nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo, Si fieri potest, quia trepidabunt; et tamen dicuntur electi, quia non cadent. Dubitatio itaque

sermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis. Quos et electos nominat, quia cernit quod in fide et bono opere persistant. Unde hic quoque dicitur: Si forte audiant, et si forte quiescant. Per hoc enim quod dicitur, Si forte, quia ex magna multitudine pauci audituri sint demonstratur. Per dubitationem ergo sermonum Dei quid significatur aliud, nisi paucitas auditorum?

9. Notandum vero quod postquam mala parentum defunctorum dixerat, mittens prophetam ad filios dicat: Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant. Quid est dicere Vel ipsi, nisi quia eorum patres qui in culpa defuncti sunt audire noluerunt? Pensemus, rogo, quae virtus sit in hoc dominici sermonis defectu, ut dicat: Si forte vel ipsi audiant. Nobis hoc nobis aperte dicitur, qui afflicti, obsessi, conclusi, omnia quae in hoc mundo habuimus bona perdidimus. Urbes erutas, eversa castra, depopulatos agros, suffossas Ecclesias videmus; et tamen adhuc parentes nostros ad iniquitates sequimur, ab eorum elatione quam vidimus non mutamur. Et illi quidem inter gaudia, nos vero, quod est gravius, et inter flagella peccamus. Sed ecce omnipotens Deus iniquitates judicans, jam priores nostros abstulit, jam ad judicium vocavit. Nos adhuc ad poenitentiam exspectat, nos ad revertendum sustinet. Et qui in illis jam judicium exercuit, nobis suae patientiae longanimitatem praerogat, ne cum nostris nos prioribus perdat, dicens: Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quia domus exasperans est.

10. Omnis anima etiam post acceptam fidem in perversitate sua aut permanens, aut revertens, domus exasperans vocatur, quia eum quem per fidem susceperat repellit a se pravis moribus habitatorem Deum. Nam domus inhabitatur a domino. Si ergo domus, quare exasperans? Si vero exasperans, quare domus, quae utique jam non habitatur? Sed domus, quia in ea Deus per fidem habitare coeperat; exasperans vero est, quia ab ea pravis moribus repulsus exiit, ut vacua remaneat, quam

prius coelestis inhabitator replebat. Unde etiam, sicut Veritatis voce cognovimus nequissimus spiritus cum septem aliis rediens, domum scopis mundatam invenit (Matth. XII, 45), quia mentem a virtutibus alienam replet. Sequitur:

IBID.---Et scient quia propheta fuerit in medio eorum.

11. Malis scire bonos, aut ad adjutorium salutis proficere, aut ad testimonium damnationis solet. Sciant ergo quia in medio eorum propheta fuerit, ut audita praedicatione aut adjuventur ut surgant, aut sic damnentur ut excusatione careant. Sequitur:

VERS. 6.---Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli, et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.

12. Patet ad quam perversos in praedicationem mittitur, qui ne timeat admonetur. Et quia pravi quique bona sibi loquentibus alia iniqua faciunt, et adhuc alia minantur, propter illa quae faciunt dicitur: Ne timeas eos; et propter hoc quod minatur, adjungitur: Neque sermones eorum metuas. Vel certe quia reprobi et mala bonis ingerunt, et eorum semper actibus derogant, propheta missus admonetur, ne eorum vel crudelitatem metuat, vel verba pertimescat. In hoc itaque quod dicitur: Ne timeas, prophetae datur auctoritas praedicationis. Et quia omnes qui in Deo vivimus organa veritatis sumus, ut saepe per alium mihi, saepe vero aliis loquatur per me; sic nobis boni verbi inesse auctoritas debet, ut et is qui praeest dicat recta libere, et is qui subest inferre bona humiliter non recuset. Bonum enim quod majori a minore dicitur tunc vere bonum est, si humiliter dicatur. Nam si rectitudo sentiendi humilitatem loquendi perdiderit, radicem sensus in ramo linguae vitiavit. Quod videlicet vitium jam non ex ramo, sed ex radice est, quia nisi cor intumesceret, lingua minime superbiret. Inesse ergo ad

loquendum priori humilis auctoritas, inesse autem minori libera humilitas debet. Sed saepe in hominibus ipse loquendi ordo confunditur, sicut et longe superius diximus. Nam aliquando quis per tumorem elationis loquitur, et loqui se per auctoritatem libertatis existimat; et aliquando alius per stultum timorem tacet, et tacere se per humilitatem putat. Ille locum sui regiminis attendens, non metitur sensum tumoris; iste, locum suae subjectionis considerans, timet dicere bona quae sentit, et ignorat quantum charitati reus efficitur tacendo.

13. Sic vero sub auctoritate superbia, et humanus timor sub humilitate se palliat, ut saepe nec ille valeat considerare quid Deo, nec iste quid debeat proximo. Nam ille dum eos qui sibi subjecti sunt conspicit, et ei cui omnes subjacent non intendit, in elatione attollitur, et de elatione sua velut de auctoritate gloriatur. Iste vero nonnunquam dum timet ne majoris gratiam amittat, atque per hoc aliquid temporalis damni sustineat, recta quae intelligit occultat, atque apud se tacitus ipsum timorem quo constringitur humilitatem nominat. Sed eum cui nil vult dicere, tacendo in cogitatione dijudicat; fitque ut unde se humilem existimat, inde gravius sit superbus. Discernenda ergo semper sunt libertas et superbia, humilitas et timor, ne aut timor humilitatem, aut superbia se libertatem fingat. Ezechiel itaque quia non solum populo, sed etiam senioribus loqui mittebatur, ne incautum timorem humilitatem crederet, ut timere non debeat admonetur, dum dicitur: Ne timeas eos. Ac ne forte derogationis eorum verba pertimescat, adjungitur: Neque sermones eorum metuas.

14. Cur autem linguas derogantium timere non debeat, etiam causa subjungitur, cum protinus subinfertur: Quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Timendi enim essent hi quibus loqui mittebatur, si in fide et opere Deo omnipotenti placuissent. Quia autem increduli et

subversores sunt, in suis sermonibus derogantes, timendi non sunt, quia stultum valde est si illis placere quaerimus quos non placere Domino scimus. Debent autem haberi in metu et reverentia judicia justorum, quia membra omnipotentis Dei sunt, et hoc ipsi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguit e coelo. Nam perversorum derogatio vitae nostrae approbatio est, quia jam ostenditur nos aliquid justitiae habere, si illis displicere inspicipimus qui non placent Deo. Nemo etenim potest in una eademque re omnipotenti Domino atque ejus hostibus gratus existere. Nam Deo se amicum denegat, qui ejus placet inimico. Et inimicis veritatis adversabitur, qui eidem veritati in mente subjugatur. Unde sancti viri in vocis liberae increpatione succensi, eos ad sua odia excitare non metuunt, quos Deum non diligere cognoscunt. Quod Propheta ardenter exhibens, creatori omnium quasi in munere obtulit, dicens: Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam (Psal. CXXXVIII, 21)? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi (Ibid., 22). Ac si aperte dicat: Pensa quantum te diligo qui tuorum hostium excitare contra me inimicitias non pertimesco. Hinc etenim dicit: Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam subsecutus sum justitiam (Psal. XXXVII, 21). Bonum valde est quod justus tribuit, quando male agentibus libera voce contradicit. Sed perversi mala pro bonis retribuunt cum justis derogant, quia contra eos justitiae defensionem servant. Non enim justi humana judicia, sed aeterni judicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba contemnunt. Hinc etenim derogantibus Corinthiis Paulus dicebat: Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die (I Cor. IV, 3). Qui nec in corde suo unde se reprehendere potuisset inveniens, adjungit: Sed neque meipsum judico. Videns autem quia ei ad perfectionem sanctitatis nec suum judicium sufficeret, subdidit: Sed non in hoc justificatus sum. Cur vero nec sibimetipsi de seipso credidit, causam reddidit cum subjungit: Qui autem

judicat me Dominus est (Ibid., 4). Ac si aperte dicat: Nec meo de me judicio credendum existimo, quia ille me judicat, cujus ego judicium non comprehendo. Hinc beatus Job cum per amicorum derogantium linguas inter dolores vulnerum pateretur jacula verborum, cogitatione protinus ad conscientiam recurrit, atque ubi mentem solidam haberet, aspexit dicens: Ecce enim in coelo testis meus, et conscius meus in excelsis (Job. XVI, 20). Qui etiam subdidit: Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus (Ibid., 21).

15. In omne enim quod de nobis dicitur, semper taciti recurrere ad mentem debemus, interiorem testem et judicem quaerere. Quid enim prodest si omnes laudent cum conscientia accuset? Aut quid poterit obesse si omnes nobis derogent, et conscientia sola nos defendat? Beatus ergo Job inter linguas derogantium inflexa mente persistens, quia in terra se impugnari falsis sermonibus vidit, in coelo testem quaesivit. Hinc Isaias ait: Popule meus, qui beatificant te, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant (Isai. III, 12). Qui videlicet populus ne verba suae laudis attenderet, et in culpis altius periret, statim dicitur quem aspiciat, cujus judicium pertimescat, cum subditur: Stat ad judicandum Dominus, stat ad judicandos populos (Ibid., 13). Ac si aperte diceretur: Judicia humana cur sequeris, qui stare super te coelestem judicem scis.

16. Hinc est quod Joannem Baptistam Veritas esse arundinem vento agitatam negat, dicens: Quid existis videre in desertum? Arundinem vento agitatam? (Matth. XI, 7, seq.) Quod quia negando dixerit, non affirmando, subjuncta verba testantur. Ait enim: Sed quid existis videre in deserto? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Arundo autem vento agitata modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus, qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo

vento agitata est. Quod Joannes non erat, quia inflexibilem mentis verticem inter laudes hominum et derogationes tenebat.

17. Sed magna inquisitione res indiget, cum recti operis viam tenemus, utrum semper despicere derogantium verba debeamus, an certe aliquando compescere. De qua re sciendum est quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus aequanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat; aliquando autem etiam compescere, ne, dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant corda innocentium corrumpant. Hinc est enim quod Joannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicens: Is qui amat primatum gerere in eis Diotrepes non recipit nos; propter hoc si venero, commoneam ejus opera quae facit, verbis malignis garriens in nos (III Joan., 9). Hinc Paulus iterum de detrahentibus Corinthiis loquitur, dicens: Epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes, praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis; hoc cogitet qui hujusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et praesentes in opere (II Cor. X, 10).

18. Hi etenim quorum vita in exemplum imitationis est posita debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant qui audire poterant, et, in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. Sed hac in re, subtili inquisitione necesse est ut semetipsum animus investiget, ne fortasse suae laudis gloriam quaerat, et animarum lucra se quaerere nostra cogitatio simulet. Saepe enim sui nominis laude animus pascitur, et quasi sub obtentu lucrorum spiritalium, cum de se bona dici cognoverit laetatur. Et saepe suae gloriae defensione contra detrahentes irascitur, et fingit sibimet quod hoc ex eorum zelo faciat quorum corda a bono itinere detrahentis

sermo perturbat. Illi ergo debent magnopere curare ne contra eorum opinionem detrahentium verba praevaleant, qui suam conscientiam subtiliter discutientes, se in ea inveniunt de amore privatae gloriae nihil habere.

19. Hinc est enim quod justi atque perfecti aliquando virtutes suas praedicant, bona quae divinitus acceperunt narrant, non ut ipsi apud homines sua ostensione proficiant, sed ut eos quibus praedicant exemplo suo ad vitam trahant. Unde Paulus apostolus quoties fustibus caesus, quoties lapidatus, quoties naufragium pertulit, quanta pro veritate sustinuit, quod ad tertium coelum raptus, quod in paradisum ductus sit, Corinthiis narrat (II Cor. XI, 25), ut eorum sensum a falsis praedicatoribus avertat, ut dum se innotesceret qualis esset, illi eis vilescerent, quos ab eis cognoverat inique venerari. Quod perfecti cum faciunt, id est cum virtutes proprias loquuntur, in hoc quoque omnipotentis Dei imitatores sunt, qui laudes suas hominibus loquitur, ut ab hominibus cognoscatur. Nam cum per Scripturam suam praecipiat, dicens: Laudet te alienus, et non os tuum (Prov. XXVII, 2), quomodo facit ipse quod prohibet? Sed si virtutes suas omnipotens Deus taceret, eum nullus agnosceret; si eum nullus agnosceret, nullus amaret; si nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Unde et per Psalmistam de eo dicitur: Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis haereditatem gentium (Psal. CX, 6). Virtutes ergo suas annuntiant, non ut laudibus suis ipse proficiat, sed ut hi qui hunc ex sua laude cognoverint ad perpetuam haereditatem veniant. Justi itaque atque perfecti non solum cum vituperationis suae verba reprehendunt, sed etiam cum virtutes quas habent infirmis loquuntur reprehensibiles non sunt, quia per suam vitam quam referunt aliorum animas ad vitam quaerunt.

20. De quibus tamen sciendum est quia nunquam bona sua detegunt, nisi eos, ut dixi, aut proximorum

utilitas, aut certe nimia necessitas cogat. Unde Paulus apostolus cum virtutes suas Corinthiis enumerasset, adjunxit: Factus sum insipiens, vos me coegistis (II Cor. XII, 11). Fit vero aliquando, ut necessitate compulsi, in bonis quae de se referunt, non aliorum utilitatem, sed suam requirant, sicut beatus Job facta sua enumerat, dicens: Oculus fui caeco, et pes claudo, pater eram pauperum, et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam (Job. XXIX, 15, 16). Et multa alia quae saepe egisse se commemorat. Sed quia, in vulnere doloris positus, ab amicis increpantibus ipse impie egisse, et violentus proximis atque oppressor pauperum fuisse dicebatur, vir sanctus, inter flagella Dei et humanae increpationis verba deprehensus, mentem suam graviter concuti atque ad desperationis foveam conspexit impelli; qui jamjamque cadere poterat, nisi ad memoriam sua bene acta revocasset, ut ad spem animus reduceretur, ne oppressus verbis et vulneribus in desperatione periret. Quod ergo bona sua enumerat, non innotescere aliis quasi ex laude desiderat, sed ad spem animum reformat. Justi itaque sicut sine arrogantia loquuntur aliquando bona quae agunt, ita sine zelo privatae gloriae detrahentium sibi linguas redarguunt, quia noxia loquuntur. Cum vero linguae derogantium corrigi nequeunt, aequanimiter sunt per omnia tolerandae. Nec obtrectationis sermo timendus est, ne dum vituperatio perversorum metuitur, recti operis via deseratur. Unde nunc Ezechieli prophetae dicitur: Sermones eorum ne metuas, quia increduli et subversores sunt tecum.

21. Minus autem mali essent, si hi qui sunt increduli subversores minime fuissent. Quia enim ipsi vel coelestis regni praemia, vel gehennae esse supplicia non credunt, in suis pravitatibus dimissi, a fide et opere etiam alios subvertunt, ut regnum quod ipsi appetere non volunt, nec alter assequatur. Hi namque cum teneriores quosdam bona incipere, mala jam devitare cognoverint, modo irridendo quod in coelis promittitur, modo despiciendo

quod Deus omnipotens de inferni suppliciis minatur, modo laudando bona temporalia, et delectationes praesentis saeculi callida persuasione pollicendo, deflectunt mentes innocentium, eorumque itinera pervertunt. Gaudent si quos potuerint a vita revocare, ad mortem trahere; laetantur in pravitatibus suis, exsultant et in alienis. His nimirum poena sua non sufficit, qui agunt ne soli moriantur. At si fortasse justum quempiam tantae jam virtutis invenerint, ut ei loqui contraria non praesumant, quia subversores esse non possunt, statim scorpiones fiunt. Scorpio enim palpando incedit, sed cauda ferit; nec mordet a facie, sed a posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt omnes blandi et malitiosi, qui bonis quidem in faciem non resistunt, sed mox ut recesserint derogant, alios quos valuerint inflammant, quaeque possunt noxia immittunt, mortifera inferre occulte non desinunt. Scorpiones ergo sunt qui blandi et innoxii in facie videntur, sed post dorsum portant unde venenum fundant. Qui enim in occulto feriunt quasi mortem latenter trahunt. Unde etiam per Psalmistam dicitur: Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis (Psal. CXVII, 12). Apes enim in ore mel habent, in aculeo caudae vulnus. Et omnes qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt, quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occulte feriendo vulnus inferunt. Ista vero facientes exardescunt sicut ignis in spinis, quia per flammas detrahentium non justorum vita comburitur, sed si quae in eis esse poterant peccatorum spinae, concremantur. Dicatur ergo: Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Increduli scilicet Deo, subversores vero infirmantibus proximis, scorpiones autem etiam fortibus et robustis. Quibus etsi in facie contradicere non praesumunt, ex occulto tamen vulnus derogationis inferunt. Increduli quippe simul et subversores et scorpiones sunt, quia et audita ea quae Dei sunt non credunt, et eos quos praevalent a bonis moribus subvertunt, et quos inflectere non valent occultis machinationibus feriunt.

22. Qua in re hoc quoque notandum est, quia cum prophetae dicitur: Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas, nobis consolationis medicamentum profertur, quos saepe taedet vivere, dum nolumus cum malis habitare. Querimur etenim cur non omnes boni sunt qui nobiscum vivunt. Mala proximorum ferre nolumus, omnes sanctos jam debere esse decernimus, dum esse nolumus quod ex proximis portemus. Sed hac in re luce clarius patet, dum malos portare renuimus, quam multum adhuc ipsi de bono minus habeamus. Neque enim perfecte bonus est, nisi qui fuerit et cum malis bonus. Hinc beatus Job de semetipso asserit, dicens: Frater fui draconum, et socius struthionum (Job. XXX, 29). Hinc Paulus apostolus discipulis dicit: In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo (Philip. II, 15). Hinc Petrus gregis dominici pastor dicit: Justum Lot oppressum a nefandorum injuria conversatione eripuit. Aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant (II Petr. II, 7). Saepe vero cum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, secretum vitae remotioris eligere; videlicet ignorantes quia si desit spiritus, non adjuvat locus. Idem enim Lot de quo loquimur, in Sodomis sanctus exstitit, in monte peccavit (Genes. XIX, 2, 30, seq.). Quia autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui et in paradiso cecidit (Genes. III, 7). Sed minus sunt omnia quae loquimur ex terra. Nam si locus salvare potuisset, Satan de coelo non caderet. Unde Psalmista ubique in hoc mundo tentationes esse conspiciens, quaesivit locum quo fugeret, sed sine Deo invenire non potuit munitum. Ex qua re et ipsum sibi locum fieri petiit, propter quem locum quaesivit dicens: Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias (Psal. XXX, 3). Tolerandi ergo ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet quem Cain malitia non exercet.

23. Unum vero est pro quo vitari societas debet malorum, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant; et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant. Unde Paulus ait: Corrumpunt bonos mores colloquia mala (I Cor. XV, 33). Et sicut per Salomonem dicitur: Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animae tuae (Prov. XXII, 24). Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia et eos saepe ad rectitudinem trahunt, et ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur, ita infirmi quique societatem declinare debent pravorum, ne mala quae frequenter aspiciunt, et corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita, infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, et assidui iniquitate sermonis. Sequitur:

IBID.---Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.

24. Ideo boni timendi sunt ne offendantur, ne forte per eos ille provocetur ad iram, qui eorum corda semper inhabitat. Nam, sicut superius dictum est, si malos offendimus, timere minime debemus, quoniam illis nostra actio displicet, quibus nec justitia creatoris placet. Quid ergo timendum est, si nobis ingrati sunt, qui Deo amabiles non sunt? Unde recte nunc dicitur: Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. Ac si aperte diceretur: Timendi essent, nisi me in suis actibus exasperarent. De quibus adhuc subditur:

VERS. 7.---Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant, quia irritatores sunt.

25. Omnis qui peccat, quid aliud quam conditoris sui in se iracundiam irritat? Et scimus quia quoties actu, quoties verbo, quoties cogitatione delinquimus, Deum contra nos toties irritamus. Sed tamen sustinet, et clementer exspectat, per se patientiam, per praedicatores autem suos verbum nobis exhortationis praerogat. Omnis autem qui recta praedicat, si auditur, iram irritati creatoris super praevaricatorem populum placat. Unde necesse est ut ipse non debeat agere malum, quod solet in populo furorem conditoris sui irritare. Propter quod etiam subditur:

VERS. 8.---Tu autem, fili hominis, audi quaecunque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est.

26. Id est, mala quae fieri conspicis, ipse non facias, ne hoc quod prohibere mitteris ipse committas. Omnis etenim praedicator intenta semper debet mente pensare ne qui missus est lapsos erigere ipse in pravitate operis cum lapsis cadat, et Pauli hunc sententia feriat dicentis: In quo alterum judicas teipsum condemnas (Rom. II, 1). Unde Balaam Dei spiritu repletus ad loquendum, sed tamen in carnali vita suo spiritu detentus, de semetipso loquitur, dicens: Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos (Num. XXIV, 14, 16). Cadens apertos oculos habuit, qui rectum quod diceret vidit, sed recte vivere contempsit. Cadens videlicet in perverso opere, et apertos habens oculos in sancta praedicatione.

27. Est tamen aliud quod possit intelligi cur beatus Ezechiel, qui ad praedicationem mittitur, esse exasperans prohibetur. Nisi enim ad loquenda verba cum mittebatur obediret, omnipotentem Dominum sicut populus de perverso opere, sic propheta de suo silentio exasperasset. Nam sicut mali ideo Deum exasperant quia loquuntur vel faciunt mala, ita nonnunquam boni

exasperant, quia reticent bona. Illis itaque culpa est perversa agere, istis recta reticere. In hoc ergo cum malis etiam boni simul Deum exasperant, quia cum perversa non increpant, eis per suum silentium proficiendi licentiam praestant. Sequitur:

IBID.---Aperi os tuum, et comede quaecunque do tibi.

28. Aperimus os nostrum cum recta loquimur; et comedimus quae a Deo accipimus, quia et tribuitur et augetur in nostris sensibus cibus vitae, cum praedicare coeperimus. Unde propheta alius dicit: Os meum aperui, et attraxi spiritum (Psal. CXVIII, 131). Non enim spiritum attraheret, nisi os aperiret, quia nisi ad praedicandum proximis se impenderet, spiritalis doctrinae in eo gratia non crevisset. Sequitur:

VERS. 9.---Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber; et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris.

29. Sicut per prophetam praedicatorum ordo, sic per librum quem accepit Scripturae sacrae paginae designantur. Liber autem involutus est Scripturae sacrae eloquium obscurum, quod profunditate sententiarum involvitur, ut non facile sensu omnium penetretur. Sed coram propheta liber expanditur, quia coram praedicatoribus sacri eloquii obscuritas aperitur. Involutum librum manus Dei porrexerat, cum apostolis dicebat: Simile factum est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio trilici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania (Matth. XIII, 24, seq.), et reliqua quae charitas vestra etiam me reticente reminiscitur. Sed librum quem involutum ostenderat expandit cum hoc quod per aenigmata loquebatur exposuit dicens: Qui seminat

bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea est diabolus. Messis vero consummatio saeculi, messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi (Matth. XXIII, 37, seq.). Involutus itaque liber expanditur, quando hoc quod obscure prolatum fuerat, per latitudinem intellectus aperitur. Hunc involutum librum Veritas expandit quando in discipulis egit quod scriptum est: Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (Luc. XXIV, 43).

30. De quo adhuc libro subditur: Qui erat scriptus intus et foris. Liber enim sacri eloquii intus scriptus est per allegoriam, foris per historiam. Intus per spiritalem intellectum, foris autem per sensum litterae simplicem, adhuc infirmantibus congruentem. Intus, quia invisibilia promittit; foris, quia visibilia praeceptorum suorum rectitudine disponit. Intus, quia coelestia pollicetur, foris autem quia terrena contemptibilia qualiter sint, vel in usu habenda, vel ex desiderio fugienda, praecipit. Alia namque de secretis coelestibus loquitur, alia vero in exterioribus actionibus jubet. Et ea quidem quae foris praecipit patent, sed illa quae de internis narrat plene apprehendi nequeunt. Unde scriptum est: Extendens coelum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus (Psal. CIII, 2). Quid enim coeli nomine nisi sacra Scriptura signatur? De qua nobis et sol sapientiae, et luna scientiae, et ex antiquis Patribus stellae exemplorum atque virtutum lucent. Quod sicut pellis extenditur, quia, per scriptores suos carnis lingua formatum, ante oculos nostros per verba doctorum exponendo displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi sanctissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est: Et aquae quae super coelos sunt laudent nomen Domini (Psal. CXLVIII, 4). Hujus coeli superiora Dominus in aquis tegit, quia alta sacri eloquii, id est ea quae de natura divinitatis vel de

aeternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Coelum ergo hoc et coram nobis extenditur, et tamen in aquis superiora ejus conteguntur, quia et quaedam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et quaedam quae solis angelis possunt esse manifesta nobis adhuc servantur occulta. De quibus tamen occultis jam partem per spiritalem intelligentiam sentimus, jam sancti Spiritus pignus accepimus, quia haec et plene necdum cognovimus, et tamen medullitus amamus, et in multis spiritalibus sensibus, quos jam cognovimus, veritatis pabulo pascimur.

31. Dicat ergo: Qui erat scriptus intus et foris, quia in sacro eloquio et dictis occultioribus atque sublimioribus satiantur fortes, et praeceptis apertioribus nos parvuli nutrimur. Unde scriptum est: Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis (Psal. CIII, 18). Habeant enim montes intelligentiae, qui jam contemplationis saltus dare noverunt. Sed petra sit refugium herinaciis, quia nos parvuli et peccatorum nostrorum spinis cooperti, etsi intelligere alta non possumus, in petrae nostrae refugio, id est, in Christi fide salvamur. Unde et quibusdam dicitur: Nihil me judicavi scire inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (II Cor. II, 2). Ac si diceret: Quia vos capere divinitatis ejus mysteria non posse pensavi, sola vobis humanitatis ejus infirma locutus sum. Sequitur:

IBID.---Et scriptae erant in eo lamentationes, carmen, et vae.

32. Carmen aliquando in bono, aliquando vero in malo dici dubium non est, quia et laetum carmen, et lugubre carmen dicere possumus. Sed nos Scripturae sacrae usum sequentes, quae pene semper carmen ponere in prosperis solet, hoc in loco pro bona parte dictum carmen accipimus. Nam cum omnipotens Deus populum suum de mari Rubro liberasset, scriptum est:

Tunc Moyses et filii Israel cecinerunt carmen Domino (Exod. XV, 1). Et cum David victoriam de hostibus fecisset, scriptum est: Locutus est David Domino verba carminis hujus (II Reg. XXII, 1). Salomon quoque ait: Acetum in nitro, et qui cantat carmina cordi pessimo (Prov. XXV, 20). Acetum quippe si mittatur in nitro, fervescit nitrum protinus et ebullit. Et perversa mens quando per increpationem corripitur, aut praedicationis dulcedinem bona suadetur, de correptione fit deterior; et inde in murmurationis iniquitate succenditur, unde debuit ab iniquitate compesci. Per Heliu quoque de ingrato ac sese desperante dicitur: Et non dixit, Ubi est qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? (Job. XXXV, 10). Carmen quippe in nocte est laetitia in tribulatione. Carmen in nocte accipimus, quando in pressuris praesentibus de futuris gaudiis consolamur. Carmen nobis in nocte ostendebat apostolus cum dicebat: Spe gaudentes, in tribulatione patientes (Rom. XII, 12). Carmen in nocte se David habere indicat, dicens: Tu es mihi refugium a pressura quae circumdedit me; exsultatio mea, redime me a circumdantibus me (Psal. XXXI, 7). Qui enim circumdari se pressuris narrat, et tamen Deum sibi esse exsultationem nominat, procul dubio carmen in nocte cantat. Quia igitur pene semper in bono carmen ponere Scriptura sacra consuevit, ita a nobis etiam in hoc loco debet intelligi.

33. Vae autem in Scriptura sacra saepius de aeterno luctu quam praesenti solet intelligi. Unde scriptum est: Vae impio in malo; retributio enim manuum ejus fiet ei (Isai. III, 11). Et beatus Job loquitur, dicens: Si impius fuero, vae mihi est; si autem justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria (Job. X, 15). Justorum enim afflictio temporalis est. Vae ergo quod dixit, a temporali afflictione distinxit, qui et justum afflictionem, et impium vae habere perhibuit. Per semetipsam quoque Veritas dicit: Vae mundo a scandalis (Matth. XVIII, 7), et, Vae vobis qui ridetis, quoniam flebitis (Luc. VI, 25). Et, Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus (Ibid., XXI,

**23). Pensandum ergo nobis est quomodo haec tria in sacro volumine scripta sint, lamentationes, carmen, et vae.**

**34. Lamentationes videlicet, quia in eo scripta est poenitentia peccatorum. Carmen vero, quia ibi praenuntiantur gaudia justorum. Vae autem, quia illic expressa est damnatio reproborum. Ut ergo peccata punias, lege quae in hoc volumine scripta sunt lamenta: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (Joel. II, 13). Et rursus: Miseri estote, et lugete; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem (Jac. IV, 9). Ut autem de promissione gaudii sequentis hilarescas, cognosce quae in hoc volumine scripta sunt carmina laudis aeternae: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saeculum saeculi laudabunt te (Psal. LXXXIII, 5). Et sicut per quemdam sapientem de coelesti Jerusalem dicitur: Et lapide pretioso et mundo omnes plateae ejus sternentur, et per omnes vicos ejus alleluia cantabitur (Tobiae XIII, 22). Hoc nobis carmen coelestis patriae nuntiare cives ejus venerant, qui concorditer clamabant: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis (Luc. II, 14). Sed si adhuc praesenti saeculo mente inhaeres, si adhuc terrenis voluptatibus delectaris, amare non potes gaudia aeterna quae audis. Cognosce ergo in hoc volumine vae quod in eo scriptum est, atque ab animo per timorem expelle quod diligis, ut possis ex judicio carmen amare quod legis. Ibi quippe sub unius damnati specie multitudo omnis exprimitur reproborum, cum voce Veritatis dicitur: Ligatis pedibus ejus ac manibus, mittite eum in tenebras exteriores; illic erit fletus et stridor dentium (Matth. XXII, 13). Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interioribus sua se sponte dejecerunt, ut veritatis lumen nec credendo nec bene operando sequerentur. In quibus ligatis pedibus ac manibus mitti praecipiuntur, quia nunc dum tempus operandi atque currendi est, habere manus et pedes liberos in bona actione noluerunt. Ibi vae**

reproborum scriptum est: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (Isai. LXVI, 24). Ibi damnatis ac repulsis dicitur: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (Matth. XXV, 41). In hoc itaque volumine cuncta quae aedificant, omnia quae erudiunt, scripta continentur. Peccasti enim, et jam te poenitet illicita perpetrasse, ut ad agendam poenitentiam docearis, ibi invenis lamenta. Spe coelestium gaudiorum mentem relevare desideras, ibi ad consolationem tuam invenis carmen. Sin vero et mala perpetrasti, et haec te perpetrasse non poenitet, sed cervicem mentis erigis, ad nullas poenitentiae lamentationes inclinaris, nulla coelestium gaudiorum exspectatione corrigeris, velis nolis, ibi scriptum auditurus es vae, ut quem nec timor ad poenitentiam humiliat, nec spes ad superna praemia exaltat, damnationis suae jam nunc poenam prospiciat, et sine excusatione in aeternum supplicium cadat.

35. Quid igitur, fratres, quid agendum est miseris nobis, nisi ut evigilemus ad hujus verba voluminis, et mala quae nos egisse meminimus fletibus puniamus, ut per lamenta poenitentiae perveniamus ad carmen vitae? Ne si affligi modo poenitendo nolumus, vae postmodum sine fine sentiamus. Nec nos nostrorum vulnerum multitudo in desperationem deprimat, quia major est potentia medici, quam magnitudo languoris nostri. Quid est enim quod reparare ad salutem non possit, qui potuit omnia ex nihilo creare? Unigenitus quippe est omnipotenti Patri coaeternus, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA X.

In explicatione priorum versuum capitis tertii usque ad quintum decimum commendat maxime Scripturam

sacram, ejus assiduam lectionem, meditationem, et praedicationem.

1. Solent quidam scripta sacri eloquii legentes, cum sublimiores ejus sententias penetrant, minora mandata quae infirmioribus data sunt tumenti sensu despicere, et ea velle in alium intellectum permutare. Qui si recte in eo alta intelligerent, mandata quoque minima despectui non haberent, quia divina praecepta sic in quibusdam loquuntur magnis, ut tamen in quibusdam congruant parvulis, qui per incrementa intelligentiae quasi quibusdam passibus mentis crescant, atque ad majora intelligenda perveniant. Unde nunc sancto prophetae dicitur:

EZECH. III, 1.---Fili hominis, quodcunque inveneris comede.

2. Quidquid enim in sacra Scriptura invenitur edendum est, quia et ejus parva simplicem componunt vitam, et ejus magna subtilem aedificant intelligentiam. Sequitur:

IBID., ET VERS. 2.---Comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo.

3. Scriptura sacra cibus noster et potus est. Unde etiam Dominus per prophetam alium minatur: Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini (Amos. VIII, 11). Qui ergo, subtracto suo eloquio, fame ac siti nos dicit atteri, quia ejus verba et cibus noster et potus sint demonstrat. Sed notandum quod aliquando cibus, aliquando potus sunt. In rebus enim obscurioribus quae intelligi nequeunt nisi exponantur, Scriptura sacra cibus est, quia quidquid exponitur ut intelligatur, quasi manditur ut glutiatur. In rebus vero apertioribus potus est. Potum enim non

mandendo glutimus. Apertiora ergo mandato bibimus, quia etiam non exposita intelligere valemus. Pro eo autem quod multa Ezechiel propheta obscura atque perplexa auditurus erat, nequaquam ei de sacro volumine dicitur, bibe, sed comede. Ac si aperte diceretur: Pertracta et intellige, id est prius mande, et tunc degluti. Sed in verbis sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut haec ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quae fecimus, vitemus ne alia faciamus.

4. Et cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione coeperit esse fiducia, per verba Dei quae intelligimus ad vitam quoque et alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, ut et nobis prosint, et intentione spiritali aliis conferantur. Unde bene nunc dicitur: Comede volumen istud, et vade, loquere ad filios Israel. Ac si ei de sacro cibo diceretur: Comede et pasce, saturare et eructa, accipe et sparge, confortare et labora.

5. Et notandum quod propheta subjungit, dicens: Et aperui os meum et cibavit me volumine illo. Os in corde esse alius Propheta testatur, dicens: Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala (Psal. XI, [Col.0887C] 3). Os ergo aperimus, quando sensum ad intelligentiam sacri verbi praeparamus. Itaque ad vocem Domini propheta os aperit, quia ad spiramentum dominici praecepti cordis nostri desideria inhiant, ut de cibo vitae aliquid sumant. Sed tamen hoc ipsum sumere nostrarum virium non est, nisi ipse cibaverit qui ut comedatur jussit. Ille etenim cibatur, qui per se edere non potest. Et quia ad capienda verba coelestia idonea nostra infirmitas non est, ipse nos cibat, qui nobis in tempore mensuram tritici temperat, quatenus in sacro verbo dum hodie intelligimus quod hesterno die nesciebamus, cras quoque comprehendamus quod hodie nescimus, per divinae dispensationis gratiam quotidiano alimento nutriamur. Omnipotens etenim Deus

quasi toties ad os cordis nostri manum porrigit, quoties nobis intellectum aperit, et cibum sacri eloquii in nostris sensibus mittit. Cibat ergo nos volumine, cum sensum nobis Scripturae sacrae dispensando aperit, et ejus dulcedine nostras cogitationes replet. Unde et subditur:

VERS. 3.---Et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto quod ego do tibi.

6. In translatione veteri non habetur, Venter tuus comedet, sed, Os tuum comedet, et viscera tua replebuntur. Os enim nostrum comedit, dum verbum Dei legimus; viscera vero nostra complentur, cum intelligimus atque servamus ea in quibus legendo laboramus. In posteriori autem translatione, quam et veraciorem credimus, scriptum est: Venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur. In sacro vero eloquio nonnunquam venter pro mente poni consuevit. Unde per Jeremiam dicitur: Ventrem meum, ventrem meum doleo (Jerem. IV, 19). Quod quia de spiritali et non corporeo ventre dixerat, adjunxit: Sensus cordis mei conturbati sunt (Ibid.). Neque enim ad salutem populi pertinebat, si propheta ventrem corporeum se dolere praedicaret. Sed ventrem doluit qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum prophetae proferimus, cum testimonium Domini apertius habeamus? Et necesse est ut cum per semetipsam Veritas loquitur, propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet in sole. Ait enim: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae (Joan. VII, 38). Quia enim de mente fidelium sanctae praedicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquae vivae flumina decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud nisi mentis interna, id est recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas? Unde nunc recte dicitur: Venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur, quia cum mens nostra pabulum veritatis

acceperit, interna nostra non jam vacua remanent, sed alimento vitae satiata.

7. Pensemus, charissimi fratres mei, quam sit pia ista promissio, qua dicitur: Venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto quod ego do tibi. Multi etenim legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem praedicationis audiunt, sed post vocem vacui recedunt. Quorum etsi venter comedit, viscera non replentur, quia etsi mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliviscendo et non servando quae audierint, haec in cordis visceribus non reponunt. Hinc est enim quod per prophetam alium quosdam Dominus increpat, dicens: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati (Aggae. I, 6). Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis coelestibus vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit et non satiatur, qui, verba Dei audiens, lucra vel gloriam saeculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur, quia aliud mandit, et aliud esurit. Bibit et non inebriatur, qui ad vocem praedicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quae sunt hujus saeculi adipisci desiderat, bibit, et debriatus non est. Si enim debriatus esset procul dubio mentem mutasset, ut jam terrena non quaereret, jam vana et transitoria quae amaverat non amaret. De electis namque per Psalmistam dicitur: Inebriabuntur ab ubertate domus tuae (Psal. XXXV, 9). Quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibimetipsis extranei esse videantur, implentes quod scriptum est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum (Matth. XVI, 24). Semetipsum abnegat qui mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat.

8. Saepe autem quosdam videmus ad vocem praedicationis, quasi ex conversione compunctos, habitum, non animum mutasse, ita ut religiosam vestem sumerent, sed anteacta vitia non calcarent; irae stimulis immaniter agitari, malitiae dolore in proximi laesionem fervescere, de ostensis quibusdam bonis ante humanos oculos superbire, praesentis mundi lucra inhianter quaerere, et de solo exterius habitu quem sumpserunt, sanctitatis fiduciam habere. Quibus quid aliud dicendum est, nisi hoc quod magister egregius quibusdam legis exteriora servantibus loquitur, dicens: Quia in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura (Gal. V, 6)? Non enim magni est meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magnopere pensandum est quid agatur in mente.

9. Nam praesentem mundum despicere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo et proximo sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, et, custodita patientia, dolorem malitiae a corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere, propter Deum et eos qui inimici sunt amare, de afflictione proximi lugere, de morte ejus qui inimicus est non exsultare, haec est nova creatura, quam idem magister gentium apud alios discipulos vigilanti oculo requirit, dicens: Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova (II Cor. V, 17).

10. Ad veterem quippe hominem pertinet praesentem mundum quaerere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiae de proximi laesione cogitare, sua indigentibus non dare, atque ad multiplicandum aliena quaerere, nullum pure propter Deum diligere, inimicitias inimicitiis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta haec vetusti sunt hominis, quae videlicet de radice trahimus corruptionis.

Sed qui jam ista exsuperat, et ad praecepta dominica mentem in benignitatem commutat, de hoc recte dicitur: Quia vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.

11. Tunc ergo in nostris mentibus nova fiunt, cum a nobis vetusti hominis vitia transeunt; et tunc vitia vetusti hominis transeunt, quando sacri verbi praeceptum venter comedit, et viscera medullitus replentur. Saepe enim quosdam vidimus tota se mente ad sanctae lectionis studium contulisse, atque, inter verba dominica recognoscentes in quantis deliquerint, semetipsos in lacrymis mactare, moerore continuo affici, in nullis hujus mundi prosperitatibus delectari, ita ut eis vita praesens oneri et lux ipsa fastidio fieret; vix ad colloquendum communia admittere, atque a rigore disciplinae animum difficile relaxare, pro amore conditoris, luctu solummodo et silentio gaudere. Horum venter sacrum volumen comedit, et viscera repleta sunt, quia praecepta vitae quae sensus capere potuit memoria non amisit, sed haec collectus in Deo animus lugendo semper et recolendo servavit.

12. Et fit plerumque ut tales quique ex dono caelestis gratiae etiam verbum doctrinae percipiant, atque de veritatis pabulo quod ipsi intrinsecus dulciter ruminant et proximos suaviter pascant. De quorum profecto ore praedicatio tanto audientibus dulcis est, quanto eorum actio contraria suis praedicationibus non est, quia de propria vita sumunt quod per linguam proximis conferunt. Unde recte hic quoque propheta subjungit:

IBID.---Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce.

13. Liber qui viscera replevit dulcis in ore sicut mel factus est, quia ipsi de omnipotenti Domino sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerint in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura sacra dulcis

est, cujus vitae viscera mandatis illius replentur, quia ei suavis est ad loquendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Unde necesse est ut qui verbum Dei loquitur prius studeat qualiter vivat, ut pos ex vita colligat quae et qualiter dicat. Ad praedicandum namque plus conscientia sancti amoris aedificat, quam exercitaio sermonis, quia amando coelestia intra semetipsum praedicator legit quomodo persuadeat ut despici debeant terrena. Qui enim vitam suam interius pensat, et exemplo suo foris admonendo alios aedificat, quasi in corde linguae calamum tingit, in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. Unde admirabilis praedicator cum multa discipulis exhortando dixit, quia nullam intra semetipsum de conscientia contrarietatem pertulit, securus adjunxit: Si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate; quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite, et Deus pacis erit vobiscum (Phil. IV, 8, 9). Sequitur:

VERS. 4.---Et dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos.

14. In eo quod Dominus prophetae dicit, Loqueris verba mea ad eos, quid aliud quam ejus ori frenum moderaminis imponit, ne quae prius intus non audierit, foris dicere praesumat? Nam prophetae falsi sua et non Dei verba loquebantur, de quibus scriptum est: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini (Jerem. XXIII, 16). Et rursum: Non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant (Ibid., 21). Qua ex re quoque colligendum est quia et quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua et non Domini verba loquitur, si tamen placendi vel seducendi studio mentiatur. Nam si in verbis dominicis virtutem requirens, ipse aliter quam is per quem prolata sunt senserit,

etiamsi sub intellectu alio aedificationem charitatis requirat, Domini sunt verba quae narrat, quia ad hoc solum Deus per totam nobis sacram Scripturam loquitur, ut nos ad suum et proximi amorem trahat. Sequitur:

VERS. 5-7.---Non enim ad populum profundi sermonis et ignotae linguae tu mitteris, ad domum Israel; neque ad populos multos profundi sermonis et ignotae linguae quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.

15. In ipso jussionis exordio quo propheta ad praedicandum mittitur, aperte et vocatio gentium et Israelitarum repulsio designatur. Nam cum dicitur: Non ad populos multos profundi sermonis et ignotae linguae mitteris quorum non possis audire sermones, atque statim subditur: Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te, aperte declaratur obedientia gentium, quae quandoque praedicatorum voces essent sine tarditate secuturae. Et cum subditur: Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me, Judaeae duritia designatur, quae verba praedicantium et cognovit, et sequi noluit. Ignota autem lingua gentium ad obediendum moram non fecit, quamvis extranea ab eloquio legis fuit. Bene autem dicitur: Nolunt audire te, quia nolunt audire me, secundum hoc quod scriptum est: Qui vos spernit, me spernit (Luc. X, 16). Causa quoque cur non audiant subinfertur, cum dicitur:

VERS. 7.--- Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde.

16. Cum domus Israel attrita fronte esse perhibetur, quid aliud sentiendum, quidve cogitandum est, nisi quod frontem cordis in impudentia atterit culpa frequens, ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur? Atque ideo ad tantam cordis duritiam quandoque peccator pervenit, ut jam in

correptione sensibilis non sit, quia qui usu peccandi induruit nullo modo corripientis verbum, id est manum palpantis, sentit, sicut Judaeae quoque crebrius delinquenti dicitur: Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere (Jerem. III, 5). Vel certe attrita frons est in hujus mundi actibus assueta, quia sicut sunt nonnulli qui quietem cunctis mundi praemiis atque honoribus praeponunt, ita nonnulli ut in hoc mundo aliquid esse videantur terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscentur jurgiis. Et quamvis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per prophetam dicitur: Ephraim vitula docta diligere trituram (Osee X, 11). Vitula etenim in tritura areae assueta, etiam si relaxatur a labore, sponte redit. Sic quibusdam pravis mentibus nihil est laboriosius quam si eis praecipitur ut in hujus mundi actibus non laborent. Nam saepe quidam repulsi ab actione terrena deprecantur ut redeant, rogant ut premantur, grave se incurrisse periculum quietem putant. Attrita ergo fronte sunt, qui non solum labores non fugiunt, sed neque importuni videri in laboribus qui sibi negantur erubescunt. Sequitur:

VERS. 8.---Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.

7. Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum sapientiae est; bonum vero erubescere, fatuitatis. Unde scriptum est: Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam (Eccli. IV, 25). Qui enim erubescit poenitendo mala quae fecit, ad vitae libertatem pervenit. Qui vero erubescit bona facere, a statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per Redemptorem dicitur: Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in

majestate sua (Luc. IX, 26). Et sunt quidam qui bona jam in mente concipiunt, sed necdum malis aperte contradicunt. Hi nimirum quia boni sunt in mente, sed auctoritatem non habent in locutione, apti ad veritatis defensionem non sunt. Ille enim esse veritatis defensor debet, qui quod recte sentit loqui nec metuit, nec erubescit. Unde nunc in magno munere prophetae promittitur: Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Quid est autem peccator, nisi vulneratus? et qui praedicator, nisi medicus? Si ergo non erubescit peccator qui jacet in vulnere, cur erubescat medicus qui per medicamenta providet salutem? Saepe vero contingit ut praedicator reverenter audiatur; nonnunquam vero a perversis ita despicitur, ac si eis nihil utilitatis loquatur. Unde recte nunc dicitur:

VERS. IX.---Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam.

18. Adamas et silex utraque dura; sed unum horum pretiosum est, alterum vile. Adamas ad ornamentum sumitur, silex ab itinerantibus calcatur. Et saepe contingit ut hos quos correptionem suam conspicimus nimis humiliter audire, verecundemur eis aliqua dicere. Nonnunquam vero evenit ut eos quos increpationem suam videmus postponere, et despectui habere, trepidemus eis verbum praedicationis inferre. Sed si recte sapimus, et ad eos a quibus nos honorari conspicimus, et ad eos a quibus nos despici videmus, auctoritatem exhortationis vel increpationis sumimus, ut nec illorum humilitatem debeamus erubescere, nec horum superbiam formidare. Dicatur ergo: Dedi faciem tuam ut adamantem, id est, si ab auditoribus honoraris; Dedi faciem tuam ut silicem, si ab auditoribus conculcaris atque despiceris, ut nec per illatum honorem refrenetur lingua ex verecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate. Sequitur:

IBID.---Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exasperans est.

19. Hoc jam superius dictum est. Sed notandum quam aspera domus habetur, cujus asperitas tam crebro replicatur. Increpandus itaque peccator est, et nunquam timendus, quia domus exasperans est. Timeri enim homo debuerat, si ipse auctorem omnium ut homo timuisset. Nam qui rationis sensum ad timorem Dei non habuit, tanto in nullo timendus est, quanto hoc quod esse debuit, non est. Sequitur:

VERS. 10, 11.---Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos quos loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi; et vade, ingredere ad transmigrationem filiorum populi tui.

20. Vigilanter intuendum est quod voce Domini ad Prophetam dicitur ut prius sermones ejus audiat, et postmodum loquatur. Audimus enim verba Dei, si facimus. Et tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens: Adducunt ci surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum (Marc. VII, 32). Cujus ordinem curationis insinuat, subdens: Misit digitos suos in auriculas, expuensque tetigit linguam ejus, et suspiciens in coelum ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Et statim apertae sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguae ejus, et loquebatur recte (Ibid., 33, seq.). Quid est enim quod creator omnium Deus cum surdum et mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, et expuens linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Unde cum in alio loco ejecisset daemonium, dixit: Si in digito Dei ejicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei (Luc. XI, 20). Qua de re per evangelistam alium dixisse describitur: Si ego in spiritu Dei ejicio daemones, igitur pervenit in

vos regnum Dei (Matth. XII, 28). Ex quo utroque loco colligitur quia digitus Dei spiritus vocatur. Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire. Quid est vero quod exspuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quae ipse est dum lingua nostra tangitur, mox ad praedicationis verba formatur. Qui suspiciens in coelum ingemuit; non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat, sed nos ad eum gemere qui coelo praesidet docuit, ut et aures nostrae per dona Spiritus sancti aperiri, et lingua per salivam oris, id est per scientiam divinae locutionis solvi debeat ad verba praedicationis. Cui mox Ephphetha, id est adaperire dicitur; et statim apertae sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguae ejus. Qua in re notandum est quia propter clausas aures dictum est Adaperire. Sed cui aures cordis ad obediendum apertae fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguae ejus vinculum solvitur, ut bona quae ipse fecerit etiam facienda aliis loquatur. Ubi et bene additur: Et loquebatur recte. Ille enim recte loquitur qui prius obediendo fecerit quae loquendo admonet esse facienda.

21. Quod vero ad transmigrationem populi admonendam propheta mittitur, non solum ea transmigratio debet intelligi quae ejus populi erat in corpore, sed etiam quae facta fuerat in mente. A Jerusalem quippe ad Babyloniam venerat. Et quid Jerusalem nisi visio pacis, quid Babylonia nisi confusio vocatur? Quisquis vero a rectis operibus in perversis actibus cadit, quoniam a bono studio ad vitia defluit, quasi ab Jerusalem ad Babyloniae civitatem venit. Culmen enim bonae contemplationis deseruit, atque in transmigratione confusionis jacet. Quod illis solet saepe evenire qui cum bona agunt, in his de sua virtute gloriantur. Unde Psalmista ne a visione pacis, id est a

bonis actibus captivus ad Babyloniam emigraret, Domino supplicans, dicit: Adjutor meus, non emigrabo (Psal. LXI, 7). Si enim in se confideret, a justitiae operibus cadendo migrasset.

22. Sed neque hi qui a statu rectitudinis in pravam actionem ceciderunt desperandi sunt, quia ecce propheta ad transmigrationem Babyloniae mittitur. Et per prophetam alium Dominus dicit: Et venies usque Babylonem, et ibi liberaberis (Mich. IV, 10). Saepe enim quis postquam in confusionem vitiorum ceciderit, erubescens mala quae perpetravit, ad poenitentiam redit, seque a suis lapsibus bene vivendo erigit. Quid ergo iste nisi usque ad Babylonem venit, et ibi liberatus est? Qui postquam, confusus mente, perversa perpetravit, haec ipsa erubescens mala quae fecit, se contra se erigit, et bene operando ad statum rectitudinis redit. In Babylone itaque liberatus est, qui per divinam gratiam ostenditur etiam de confusione salvatus. Propheta ergo ad transmigrationem loquitur, cum illos increpat qui a statu rectitudinis ad erroris vitia transmigrando ceciderunt. Sequitur:

VERS. 11.---Et loqueris ad eos, et dices: Haec dicit Dominus Deus: si forte audiant, et quiescant.

23. Quod toties divinis vocibus difficultas audiendi repetitur, ut dicatur, Si forte audiant, quid aliud quam transmigrati populi duritia designatur? In quibus verbis magna est nostra consolatio, quia si omnipotens Deus prophetam mittens a perverso populo verba sua denuntiat difficile audiri, cur nos miseri contristamur, cum saepe a fratribus in nostra admonitione contemnimur? Nam crebro delinquentes alloquimur, frequenter increpamus, saepe cum eis blandis sermonibus agimus, et tamen si alter audit, alter audire contemnit; alter ex parte verbum exhortationis suscipit, et ex parte recipere recusat; ita ut quotidie impleri videamus hoc quod per

prophetam alium Dominus narrat quae fecerit iratus, cum dicit: Plui super civitatem unam, et super alteram non plui. Pars una compluta est, et pars quae compluta non est aruit (Amos IV, 7). Cum enim sanctae exhortationis verba alia mens suscipit, alia suscipere recusat, super unam civitatem Dominus pluit, et super alteram non pluit. Cum vero et ipse proximus qui audit ab aliis se vitiis corrigit, atque ab aliis emendare se contemnit, una eademque civitas et ex parte compluitur, et ex parte arida remanet, in qua a se praedicationis pluviam repellit. Sunt etenim quidam qui exhortationis verba omnino non audiunt, hi penitus suscipere pluviam nolunt. Et sunt quidam qui audiunt, sed tamen hanc medullitus non sequuntur, quia alia in se vitia resecant, sed in aliis graviter perdurant. Saepe enim quosdam videmus qui per praedicationis verbum a semetipsis avaritiae aestum repellunt, et non solum jam aliena non rapiunt, sed et propria indigentibus largiuntur; nec tamen irae stimulos edomant, nec patientiae moderamina per mentis tranquilitatem servant. Et saepe alii ad exhortationis verbum in semetipsis jam carnis immunditiam vincunt, corpus in castitate custodiunt, nec tamen adhuc animum, sicut debent, proximis inclinant, sed per rigorem superbiae in cogitatione se elevant. In istis pars una compluta est, quia fructum fecit, et pars quae compluta non est aruit, quia exhortationis verbum non plene suscipiens, a bono opere sterilis remansit. Sequitur:

VERS. 12.---Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnae; Benedicta gloria Domini de loco suo.

24. Quid est hoc, quod propheta postquam ad transmigrationem filiorum populi mittitur, vocem post se magnae commotionis audit, dicentem: Benedicta gloria Domini de loco suo? Conversus quippe ad peccatores Babyloniae fuerat, et vocem gloriae Domini de loco suo post tergum audiebat. Locus enim est Dei Jerusalem, id

est visio pacis, quia nimirum illa corda vident ea quae Dei sunt, quae ad transmigrationem Babyloniae, hoc est ad confusionis vitia, non descendunt. Ibi enim inhabitat Deus ubi vera pax quaeritur, internae contemplationis gloria amatur. Nam qui ad perversitatem defluunt, locus Dei esse contemnunt. Locus ergo gloriae Dei est vel sancta quaeque anima, vel unusquisque in coelestibus permanens angelicus spiritus. Et gloria Domini de loco suo benedicitur, cum vel ab electis hominibus, vel a sanctis angelis auctori omnium laus aeterna cantatur. In eo ergo quod justi de convertendis peccatoribus cogitant, quia eorum vitia considerando ad carnales actus oculum ducunt, quasi ad Babyloniam intendunt. Qui tamen pro statu suae rectitudinis, quia in laudem Dei bona sanctorum considerare nunquam desinunt, quamvis per cogitationem alio intendant, quasi post se vocem gloriae Domini a Jerusalem, id est de loco suo audiunt.

25. Sed cur in istis immoramur, qui haec prophetae verba, largiente Domino, per sensum alterum et subtilius intelligere, et apertius dicere valemus? Ait enim: Et assumpsit me spiritus. Praedicatorem spiritus assumit, cum ejus mentem in amorem Dei omnipotentis elevatam a terrenis jam desideriis alienam reddit, ut nihil ei agere libeat, nisi ea quibus lucra spiritalia congreget, et ad regna coelestia quotidiani sui operis fructum portet. Unde et nobis praedicatoribus jubetur: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam (Joan. VI, 27).

26. Bene autem subditur: Et audivi post me vocem commotionis magnae. Propheta, sancto Spiritu repletus, quasi transacta narrat, quae facienda praevidet, quia et in praedestinatione jam facta sunt, quae adhuc in opere sequuntur. Unde et in translatione veteri per Isaiam dicitur: Qui fecit quae futura sunt (Isai. XLV, 11, sec. LXX). Quid est ergo quod post se propheta vocem audivit commotionis magnae, nisi quod post sermonem

praedicationis, qui fit ad corda peccantium, lamenta poenitentium sequuntur?

27. Perversi etenim quique dum prava agunt, et a justis recta non audiunt, nesciunt quam sint gravia quae committunt, atque ex ipsa sua ignorantia, in suo stupore securi sunt; et jacentes in culpis, quasi molliter quiescunt, sicut de quodam peccatore et securo populo dicitur: Requievit in faecibus suis, quia securus jacuit in peccatis (Jerem. XLVIII, 11).

28. Cum vero audire perversi verbum praedicationis coeperint, quae sint supplicia aeterna cognoscere, qui terror judicii, quam subtilis examinatio de singulis quibusque peccatis, illico contremiscunt, implentur gemitibus, et non se capientibus suspiriis anxiantur, atque, magno pavore concussi, in luctu et fletibus erumpunt. Prophetam ergo vox magnae commotionis sequitur; quia post verbum praedicationis, conversorum atque poenitentium luctus audiuntur. Qui enim prius quieti jacebant in vulnere, tacti postmodum manu medicinae, cum dolore redeunt ad salutem. De hac commotione poenitentium per prophetam alium dicitur: Pedes ejus steterunt, et commota est terra (Zach. XIV, 4), quia cum veritatis vestigia in mente audientium figuntur, ipsa mens in sui consideratione turbata commovetur. Hinc Psalmista pro peccatoribus exorat, dicens: Qui sedes super cherubim, moveatur terra (Psal. XCVIII, 2). Hinc pro afflictis et poenitentibus deprecans, ait: Commovisti terram, et conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia mota est (Psal. LIX, 4). Terra quippe commota et turbata, est peccator de cognitione reatus sui anxius, et ad poenitentiae lamenta perductus. Peccanti etenim homini dictum est: Terra es, et in terram ibis (Genes. III, 19). Exoret ergo ut sanetur contritio terrae, quia mota est, quatenus peccator qui de culpis suis affligitur, de coelestis misericordiae gaudio consoletur. Haec est

itaque vox commotionis magnae, quando unusquisque sua acta dijudicans, in afflictione poenitentiae perturbatur.

29. Sed quid vox ipsa dicat audiamus: Benedicta gloria Domini de loco suo. Locus enim maligni spiritus fuerant corda peccantium; sed cum sibimetipsis irati per poenitentiam redeunt ad vitam, gloriae Domini locus fiunt. Jam enim se contra se erigunt, jam poenitentiae lacrymis insequuntur mala quae commiserunt. Inde ergo auditur benedictio gloriae in laude Domini, unde prius sonabat Creatoris injuria de amore praesentis saeculi. Et corda poenitentium fiunt jam Domino locus suus, quae prius in peccatis posita, fuerant locus alienus. Ipsi autem qui a peccatis suis ad Dominum convertuntur, non solum delent lacrymis perversa quae fecerunt, sed etiam miris operibus ad alta proficiunt, ut sancta animalia Dei omnipotentis fiant, ut signis et virtutibus ad alta evolent, ut terram funditus deserant, et acceptis donis sese ad coelestia per desiderium suspendant. De quibus adhuc subditur:

VERS. 13.---Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.

30. Audit post se propheta vocem commotionis magnae, quia, sicut dictum est, verbum praedicantium luctus poenitentium sequitur. Audit post se vocem alarum animalium, quia ex ipso luctu poenitentium oriuntur virtutes sanctorum, ut tanto magis in sancta actione proficiant, quanto se ante cognitionem vitae nequiter egisse meminerunt. Sed est in his verbis magna dubitatio, quia non aperte per prophetam dicitur utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat, an certe haec eadem sancta animalia alis suis se vicissim feriant, ut ala hujus alterum, et ala alterius istud animal tangat.

31. Sed quia plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur, nos charitati vestrae utraque exponere largiente Domino debemus. Saepe jam alas animalium virtutes diximus esse sanctorum. Quomodo ergo unumquodque animas alas suas excutiens alteram ad alteram percutit, nisi quod aperte datur intelligi qua, si sancta animalia efficimur, virtus in nobis virtutem excitat, dum una alteram ad perfectionem pulsat? Ecce etenim quis habet jam verbi Dei scientiam, discit ut viscera etiam misericordiae habeat. Per scientiam quippe verbi Dei discit: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (Luc. XI, 41). Cumque jam esse misericors in eleemosynis coeperit, verba sanctae auctoritatis legit; et quidquid in eis de misericordia dicitur, ulterius per experimentum intelligit. Ibi enim scriptum est: Pater eram pauperum (Job. XXIX, 16). Quod fortasse antea legebat, et praeteribat. Sed cum in ejus corde jam misericordia coeperit imitari naturam, quid sit patrem esse pauperum, legit et recognoscit, quia introrsus rediens, in semetipso intelligit quod foris audit. Aliud namque est eleemosynam ex praecepto facere, atque aliud ex charitate. Ex praecepto enim facere bonum, inchoantium est; ex charitate autem facere bonum, perfectorum, qui non solum quia jubetur faciunt, sed etiam diligunt faciendo quod jubetur. Hinc est enim quod in magna virtute per Psalmistam dicitur: Vide quia mandata tua dilexi, Domine, in tua misericordia vivifica me (Psal. CXVIII, 159). Mandata enim Dei pro jussione facere servientis et obedientis est, diligendo autem facere obedientis et amantis est. Quia ergo et per scientiam charitatis misericordia discitur, et per charitatem misericordiae in corde compuncto scientia multiplicatur, ala in nobis alam percutit, quia virtus virtutem excitat. Sic qui castitatis bonum in suo corpore custodit contra luxuriantes zelo accenditur, ut ab immunditiae maculis expientur. Et saepe dum quosdam in lapsibus invenit, edomat, affligit, atque ad castitatis munditiam restringit. Cujus si forte

mens de immunditia luxuriae fuerit tentata, ex ipso zelo quo alios correxit semetipsam convenit, et erubescit immunda cogitare, quae se in aliis recolit correxisse. In hoc ergo ala alam percutit, dum virtus virtutem pulsat, et ab immunditia custodit.

32. Sin vero, ut praefati sumus, vicissim se alis suis animalia feriunt, et altera ad alteram ala percutitur singulorum, hujus quoque descriptionis, largiente Domino, sensus patet. Quid est ergo quod haec pennata animalia vicissim alas alteram ad alteram feriunt, nisi quod omnes sancti se invicem suis virtutibus tangunt, et sese ad provectum excitant ex consideratione virtutis alienae? Non enim uni dantur omnia, ne in superbiam elatus cadat, sed huic datur quod tibi non datur, et tibi datur quod illi denegatur, ut dum iste considerat bonum quod habes et ipse non habet, te sibi in cogitatione praeferat; et rursum dum tu habere illum conspicis quod ipse non habes, te illi in tua cogitatione postponas, et fiat quod scriptum est: Superiores sibi invicem arbitrantes (Philip. II, 3). Ut enim pauca ex multis loquar, isti mirae abstinentiae virtus tribuitur, et tamen verbum scientiae non habet. Illi autem datur verbum scientiae; et tamen virtutem perfectae abstinentiae apprehendere conatur, et non valet. Huic libertas vocis tribuitur, ut, oppressis quibusque protectionis solatia impendens, ad defensionem justitiae libere loquatur; sed tamen adhuc multa in hoc mundo possidens, relinquere omnia vult, et non valet. Illi vero jam datum est omnia terrena relinquere, ut nihil in hoc mundo cupiat habere; sed tamen adhuc auctoritatem vocis contra peccantes quosque non praesumit exercere. Et qui ideo plus loqui libere debuit, quia jam non habet mundo teneatur, loqui contra alios libere recusat, ne ipsam vitae suae quietem perdat. Isti virtus prophetiae data est, multa jam quae ventura sunt praevidet; sed tamen praesentis proximi aegritudinem conspiciens atque compatiens, non valet curare. Illi data est curationis gratia, atque a corpore proximi molestiam

quae in praesenti est orationibus repellit, sed tamen quid seipsum paulo post sequatur ignorat. Mira itaque dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis sua dona dispensat, ut et isti det quod illi denegat, et alteri majus quod alteri minus tribuat, quatenus dum vel iste habere illum conspicit quod ipse non habet, vel ille hunc majus accepisse considerat quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero, id est vicissim, omnes admirentur, atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri, et quem videt habere quod non habet, eum divino judicio sibi praelatum putet. Alis ergo suis vicissim se animalia feriunt cum sanctae mentes alternis se virtutibus tangunt, et tangendo excitant, atque excitata ad provectum volant.

33. Videamus Paulum quomodo apostolorum alis tactus, atque ad poenitentiam excitatus fuerat, qui, mala praeteritae persecutionis suae et apostolorum innocentem vitam considerans, dicebat: Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (I Cor. XV, 9). Consideravit quippe apostolorum innocentiam, et propter praecedentem malitiam vilis in ejus oculis facta est omnis quam exhibebat in Ecclesia sollicitudo sua; et quam multos ex accepto intellectu praecederet non attendit, quia, illorum innocentiam pensans, persecutorem aliquando fuisse se doluit. Sed videamus si quis ex apostolis eum qui Paulo datus est intellectum miratur. Ipse nobis apostolorum primus requirendus est, qui discipulos admonens ait: Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis; sicut in omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant (II Petr. III, 15). Miratur itaque in apostolis omnibus Paulus innocentiam, miratur apostolorum primus in Paulo sapientiam. Alis ergo se tangunt qui inde se vicissim ad provectum excitant, unde volant.

34. Hoc itaque omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque unicuilibet regioni fructus omnes tribuere; sed si una quaelibet regio alterius regionis fructibus non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Unde fit ut huic vini, alii vero olei abundantiam tribuat; hanc multitudine pecudum, illam vero ubertate abundare faciat frugum, ut cum illa defert quod ista non habet, et ista reddit quod illa non detulit, per communionem gratiae sibi simul etiam divisae terrae conjunctae sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes sanctorum, quae dum vicissim sibi conferunt quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt ut in una omnes charitate jungantur.

35. Sed inter haec sciendum est quia sicut electi quique hoc semper in aliis attendunt quod a Deo melius acceperunt quam ipsi, ut eos sibi in cogitatione praeferant, seque illis in humilitate substernant, ita reproborum mens nunquam considerat quid alter boni amplius quam ipsa, sed quid boni ipsa amplius quam alter habeat. Neque enim pensant quae bona spiritus alter acceperit et ipsis desint, sed quae bona ipsi, et quae mala adsint alteri. Et dum omnipotens Deus ad hoc virtutes singulis dividat, ut alterum alteri in cogitatione humiliet, ad hoc reprobi pertrahunt bonum quod acceperunt, ut ex eo in elatione perdantur, dum semper considerant bona quae ipsi habent et alii non habent, et nunquam perpendere student quanta bona alii habeant et ipsi non habeant. Quod ergo divina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobae in augmentum vertunt elationis; et ex diversitate munerum a bono deficiunt, unde crescere humilitatis bono debuerunt.

36. Propter hoc ergo necesse est, fratres charissimi, ut in vobis hoc semper debeatis aspicere quod minus habetis, in proximis vero hoc quod vobis amplius acceperunt, quatenus dum super vosmetipsos eos pro

bono quod ipsi habent et vos non habetis aspicitis, ad hoc quoque obtinendum etiam vos ex humilitate crescatis. Si enim et vos in illis accepta bona perpenditis, et illi in vobis considerant dona quae habetis, vicissim vos alis tangitis, ut excitati semper ad coelestia voletis. Sequitur:

VERS. 13.---Et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnae.

37. In rotis sacri eloquii Testamenta signari superius diximus. Vox igitur rotarum est sermo Testamentorum. Post vocem itaque alarum animalium auditur etiam vox rotarum, quia praedicantium sermone suscepto, dum virtutes sanctorum ad altiora agenda evolant, seque vicissim ad provectum pulsant, sanctae Ecclesiae status erigitur, ut per universum mundum sacrorum Testamentorum paginae legantur. Ubique etenim jam sanctum Evangelium ubique apostolorum dicta, ubique lex et prophetae resonant. Post alarum ergo vocem vox rotarum sequitur, quia post sanctorum miracula verba sacri eloquii intra sanctam Ecclesiam libere licenter audiuntur. Quae rotae animalia sequuntur, quia, ut superius dictum est, postquam in honorem venit vita sanctorum, veneranda quoque apparuerunt hominibus eloquia Testamentorum.

38. Vel certe animalia sequuntur, quia in sanctorum Patrum vita cognoscimus quid in sacrae Scripturae volumine intelligere debeamus. Illorum quippe actio nobis aperit hoc quod in suis praedicationibus pagina Testamentorum dicit. Sed quaerendum nobis est cur postquam superius dictum est, Audivi post me vocem commotionis magnae, post vocem quoque alarum atque rotarum subditur: Et vocem commotionis magnae. Quod si diligenter aspicitur, inveniri potest quia non otiose repetitur.

39. Duae quippe sunt commotiones magnae, quibus corda nostra commoventur. Una quippe commotio ex timore est, altera ex charitate; una fit ex luctu poenitentium, alia ex fervore amantium. Post praedicationis ergo verbum prima commotio est, cum plangimus mala quae fecimus; post vocem vero alarum et rotarum, secunda commotio est, dum magnis fletibus quaerimus coelestia bona quae audimus. Ecce enim quia intra sanctam Ecclesiam de multis Patribus virtutum exempla cognoscimus, quasi alarum sonitum quotidie audimus, quia ubique sacra eloquia personant, quasi rotarum vocibus excitamur. Et quia per eadem sacra eloquia ad amorem nostri conditoris accendimur, magni fervoris ignibus ardentes, esse nos longe adhuc ab omnipotentis Dei facie plangimus. Post primam ergo vocem commotionis magnae ad extremum quoque vox magnae commotionis fit, quia qui cognoscendo Deum coepimus peccata plangere, jam diligendo quem cognovimus non cessamus eum cum fletibus desiderare. Post rotarum itaque vocem vox magnae commotionis sequitur, quia cum Testamenta Dei in aure cordis sonare coeperint, audientium spiritus ex amore compunctus ad lamenta commovetur. Hinc est enim quod Scripturae sacrae verba fiunt in corde legentium sapida, hinc est quod ab amantibus plerumque in silentio quasi furtive et tacite leguntur. Unde per prophetam quoque alium dicitur: Praecidisti in alienatione capita potentium, movebuntur in ea gentes, adaperient ora sua sicut pauper edens in occulto (Habac. III, 14). Omnipotens enim Deus in alienatione capita potentium praecidit, quia Judaeorum superbiam a semetipso alienando repulit. In qua alienatione gentes motae sunt, quia dum Judaei a fide caderent, ad cognitionem fidei corda gentilium cucurrerunt. Quae videlicet gentes in sacrae lectionis pabulo os cordis aperiunt, et in occulto sicut pauper comedunt, quia cum festinatione et silentio verba vitae legentes sumunt.

40. Sed sciendum est quia quanto auditores in charitate atque intellectu proficiunt, tanto sanctis praedicatoribus major gratia spiritus datur. Unde cum prius propheta dixisset: Assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnae, post vocem commotionis magnae alarum atque rotarum, atque iterum commotionis magnae, illico subjungit:

VERS. 14.---Spiritus quoque elevavit me, et assumpsit me.

41. Cur qui se assumptum jam a spiritu dixerat iterum elevatum et assumptum narrat? Sed ad altiora mens praedicantium proficit cum per eos sensus audientium ad omnipotentis Dei desiderium commovetur. Qui videlicet praedicatores sancti idcirco proficiunt, ut per eorum ministerium dona gratiae in sancta Ecclesia multiplicentur, sicut de hac eadem sancta Ecclesia scriptum est: Rivos ejus inebrians multiplica generationes ejus, in stillicidiis suis laetabitur cum exorietur (Psal. LXIV, 11). Rivi quippe Ecclesiae sancti praedicatores sunt, qui terram nostri cordis infundunt. Sed cum inebriantur rivi, generationes Ecclesiae multiplicantur, quia cum uberiorem gratiam spiritus praedicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quae sancta Ecclesia in suis stillicidiis laetatur. In stillicidio enim aqua de tecto in terram cadit, quae de coelo ceciderat in tectum. Tectum vero Ecclesiae sancti praedicatores sunt, qui nos intercedendo et admonitionibus muniendo protegunt. Sed quia illorum cor divinitus in praedicatione infunditur, quasi aqua de coelo venit in tectum. Quia vero nos eorum verbis irrigamur, quasi aqua de tecto defluit in terram. Sancta itaque Ecclesia, dum exoritur, in stillicidiis suis laetatur, quia cum in fide et bonis operibus nascitur, ea quae accepit dona considerat, et in verbis praedicantium exsultat. Quia ergo auditoribus ad meliora surgentibus, eorum quoque praedicatoribus gratia multiplicatur, propheta dicit: Spiritus quoque elevavit me, et assumpsit

me. Inde enim praedicator magis ac magis elevatur et assumitur, unde auditor ad meliorem vitam mutatur.

42. Sed quaerendum nobis est, cum spiritus mentem non elevet nisi assumpserit, cur prius elevavit et postmodum dicitur assumpsit? Sed hoc loco assumpsit dictum est constanter tenuit. Nam sunt nonnulli quos elevat sed non assumit, quorum et intellectus ad spiritalia emicat, sed tamen vita in factis carnalibus remanens, intellectui non concordat. Balaam namque per prophetiae spiritum elevatus erat, sed assumptus non erat, quia et veraciter potuit longe post futura prospicere, et tamen a terrenis desideriis mentem noluit separare (Num. XXIV, 4, 5). Sed quia propheta sanctus scientia elevatus est, et vita pariter assumptus, jam qualis in praedicationem pergat audiamus:

IBID.---Et abii amarus in indignatione spiritus mei.

43. Pensate, fratres charissimi, cui dona sancti Spiritus creverant cur amarus abibat? An omne cor quod idem spiritus assumit amarum in indignatione sui spiritus facit? Unde sciendum est quia cui adhuc praesens vita dulcis est, etiamsi verbum Dei loqui videatur, elevatus et assumptus praedicator non est. Mentem enim quam Spiritus sanctus replet in amaritudinem temporalium delectatione aeternorum commovet. Dulce enim est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de coelestibus gaudia nulla gustavit, quia quanto minus aeterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit. At si quis jam cordis ore gustaverit quae sit illa dulcedo coelestium praemiorum qui illi hymnidici angelorum chori, quae incomprehensibilis visio sanctae Trinitatis, huic quanto illud dulce fit quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet. Rixatur secum de his quae male egisse se recolit, et sibimetipsi displicet, cum ei ille placere jam coeperit qui omnia creavit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, et

punit flendo de factis. Supernis inhiat, terrena jam omnia per mentis despectum calcat. Et quandiu illud quod desiderat adhuc per speciem non habet, flere dulce habet, seseque continuis lamentis affligere. Et quia necdum se esse in patria ad quam creatus est videt, in hujus vitae exsilio nil ei plus aliud quam sua amaritudo placet. Dedignatur etenim subjacere temporalibus, et ardenter suspirat aeternis. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, et qui apponit scientiam apponit dolorem (Eccle. I, 18). Coelestia etenim cognoscentes, terrenis animum subdere dedignamur. Et dum plus sapere incipimus de his quae male egimus, nobis ipsis irascimur, et fit in multa sapientia multa indignatio, quia quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de perverso opere. Atque cum scientia dolor crescit, quia quanto magis aeterna cognoscimus, tanto magis esse nos in hujus exsilii miseria dolemus. Vel sicut in translatione alia dicitur: Et qui addit scientiam addit laborem. Quo enim scire incipimus quae sint coelestia gaudia, eo magis ut errorum nostrorum laqueos possimus evadere, flendo laboramus. In multa ergo sapientia multa est indignatio, quia si aeterna jam sapimus, concupiscere temporalia dedignamur. Si aeterna jam sapimus, nosmetipsos despicimus egisse hoc quod nos potuit ab aeternitatis amore separare. Reprehendit semetipsam conscientia, accusat quod egit, damnat per poenitentiam quod accusat, fit rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.

44. Sic Achab, rex iniquus, a propheta reprehensus, cum contra se divinam sententiam audisset, pertimuit, et magno moerore depressus est, ita ut prophetae suo Dominus diceret: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus (III Reg. XXI, 29). In quibus Domini verbis pensandum est quomodo ei in electis suis moeror amaritudinis placeat qui amittere timent Dominum, si sic

ei et in reprobo poenitentia placuit qui timebat perdere praesens saeculum? Aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si haec ad tempus placuit et in illo qui displicebat? Sed sciendum quia nullus haec pro amore omnipotentis Domini ex toto corde agere praevalet, nisi is cujus animum Spiritus sanctus assumpserit. Nam quando homo ex sua virtute sufficiat terrena despicere, coelestia amare, pacem cum Deo quaerere, secum rixam subire, in cogitatione semetipsum reprehendere, et gemitibus punire? Nullus haec agere nisi quem divina gratia roboraverit valet. Unde et subditur:

IBID.---Manus enim Domini erat mecum, confortans me.

45. Ad bona quippe assurgere perfecte non possumus, nisi nos spiritus et praeveniendo elevet, et subsequendo confortet. Sed quaerendum est, cum superius de volumine quod acceperat scriptum sit: Et factum est in ore meo sicut mel dulce, qua ratione postmodum dicitur: Abii amarus in indignatione spiritus mei? Mirum quippe valde est si dulcedo simul et amaritudo conveniant. Sed juxta superiorem sensum sciendum est quia cui sermo Dei in ore cordis dulcis esse coeperit, hujus procul dubio contra semetipsum animus amarescit. Quo enim in illo subtiliter discit qualiter reprehendere se debeat, eo se durius per amaritudinem poenitentiae castigat, qui tanto sibi magis displicet, quanto in sacro volumine amplius de omnipotente Deo videt quod amet. Sed quia ad ista proficere sua virtute non valet homo, recte nunc dicitur: Manus Domini erat mecum, confortans me. Manus enim Domini in sacro eloquio aliquando etiam unigenitus Filius appellatur, quia omnia per ipsum facta sunt (Joan. I, 3). Et de cujus ascensione per Moysen Pater omnipotens loquitur, dicens: Tollam in coelum manum meam (Deut. XXXII, 40). Haec manus quae electorum suorum corda confortat,

discipulis dicebat: Sine me nihil potestis facere (Joan. XV, 5). In omne ergo quod cogitamus, in omne quod agimus, semper orandum est, ut et ipso aspirante cogitemus, et ipso adjuvante faciamus, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XI.

Explanationem capitis III Ezechielis prosequitur a versu 15 ad 20, ubi de officio pastorali, de peccatis praelatorum et subditorum invicem connexis, ac de mentis obcaecatione praesertim disseritur.

Inter caetera prophetiae miracula hoc quoque mirandum habent libri prophetarum, quod sicut in eis verbis res, ita nonnunquam verba rebus exponuntur, ut eorum non solum dicta, sed etiam res gestae prophetiae sint. Unde nunc dicitur:

EZECH. III, VERS. 15.---Veni ad transmigrationem ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar.

1. Cum causa exigeret ut indicare debuisset quia ad transmigrationem veniret, quae dicendi necessitas fuit ut per fruges locum quoque exprimeret, dicens: Ad acervum novarum frugum, nisi quod saepe per res et loca causae signantur? Multi quippe Ezechiele prophetante jam captivitatis anni defluxerant, atque ex his qui in captivitatem ducti fuerant plures jam in morte carnis obierant, ad quorum filios loqui propheta veniebat. Unde et ei superius dicitur: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me. Patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura cervice et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te (Ezech. II, 3, seq.). Ex quibus quia multi fuerant credituri, atque per obedientiam ad fertilitatem boni operis perventuri, acervus frugum

vocantur. Quia enim bonae animae fruges appellantur Dei, propheta alius testatur, dicens: Sanctus Israel Domino, primitiae frugum ejus (Jerem. II, 3). Fruges etenim Domini etiam conversae ad fidem gentes postmodum factae sunt. Sed quia prius Israel Domino credidit, recte hunc propheta frugum ejus primitias appellavit. Quia ergo propheta missus non priori populo, sed filiis ejusdem populi verba intulit, ad acervum frugum novarum venit. Quid vero per Chobar fluvium designetur, supra jam diximus (Hom. II, n. 6); quae nequaquam modo repetimus, ne repetendo fastidium generemus. Sequitur:

VERS. 15.---Et sedi ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus moerens in medio eorum.

2. Notandum captivo populo propheta sanctus quanta compassione se copulat, eorumque se moeroribus consedendo et moerendo conjungit, quia radix verbi virtus est operis. Et ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui a praedicante cum compassione animi profertur. Sic ferrum cum ferro jungitur, liquatur prius, ut postmodum vicissim a semetipso teneatur. Si enim prius minime mollescit, postmodum tenere se fortiter non sufficit. Sic propheta captivo populo consedit, et moerens in medio eorum exstitit, ut dum per charitatis gratiam condescendendo se ei molliorem redderet, eum statim per verbi fortitudinem teneret. Sin vero Israeliticus populus, qui domus exasperans vocatur, quia culpas nec inter flagella cognovit, nullo moerore animum depressit, propheta inter gaudentes moerens sedere studuit, ut tacendo ostenderet quod loquendo venerat docere. Et priusquam verba faceret, in hoc quod moerens tacuit formam verborum sumpsit. Sequitur:

VERS. 16.---Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens.

3. In eo quod septem diebus moerens sedit, et post diem septimum verba dominicae jussionis accepit ut loqui debuisset, aperte indicat quia eisdem diebus moerens tacuerat. Missus autem ad praedicandum fuerat, et tamen septem diebus sedens tacebat. Quid est hoc quod nobis propheta sanctus in hoc suo silentio innuit, nisi quia ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit? Quasi enim quoddam nutrimentum verbi, est censura silentii. Et recte per excrescentem quoque gratiam sermonem accipit, qui ordinate ante per humilitatem tacet. Hinc enim per Salomonem dicitur: Tempus tacendi, et tempus loquendi (Eccle. III, 7). Non enim ait, Tempus loquendi, et tempus tacendi, sed prius tacendi praemittit tempus, et postmodum subdit loquendi, quia non loquendo tacere, sed tacendo debemus loqui discere. Si ergo propheta sanctus qui missus ad loquendum fuerat diu prius tacuit, ut postmodum recte loqueretur, pensandum nobis est quanta ei culpa sit non tacere, quem nulla cogit necessitas loqui. Sequitur:

VERS. 17.---Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.

4. Notandum quod eum quem Dominus ad praedicandum mittit speculatorem esse denuntiat. Cui enim aliena cura committitur, speculator vocatur, ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est longe prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Hinc propheta alius speculatorem admonet, dicens: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (Isai. XL, 9). Ut videlicet qui praedicationis locum suscepit ad altitudinem bonae ascendat actionis; ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat; quatenus subjectorum

vitam tanto subtilius videat, quanto et terrenis rebus quas despicit animum non supponit.

5. O quam dura mihi sunt ista quae loquor, quia memetipsum loquendo ferio, cujus neque lingua, ut dignum est, praedicationem tenet, neque inquantum tenere sufficit vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis saepe implicor, et ab exhortatione atque aedificatione proximorum torpens et negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus et verbosus, mutus in necessariis, verbosus in otiosis. Sed ecce sermo Dei de speculatoris vita compellit ut loquar. Tacere non possum, et tamen loquendo me ferire pertimesco. Dicam, dicam, ut verbi Dei gladius etiam per memetipsum ad configendum cor proximi transeat. Dicam, dicam, ut etiam contra me sermo Dei sonet per me. Ego reum me esse non abnego, torporem meum atque negligentiam video. Erit fortasse apud pium judicem impetratio veniae ipsa cognitio culpae.

6. Et quidem in monasterio positus, valebam et ab otiosis linguam restringere, et in intentione orationis pene continue mentem tenere. At postquam cordis humerum sarcinae pastorali supposui, colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur. Cogor namque modo Ecclesiarum, modo monasteriorum causas discutere, saepe singulorum vitas actusque pensare; modo quaedam civium negotia sustinere, modo de irruentibus barbarorum gladiis gemere, et commisso gregi insidiantes lupos timere; modo rerum curam sumere, ne desint subsidia eis ipsis quibus disciplinae regula tenetur, modo raptores quosdam aequanimiter perpeti, modo eis sub studio servatae charitatis obviare. Cum itaque ad tot et tanta cogitanda scissa ac dilaniata mens ducitur, quando ad semetipsam redeat, ut totam se in praedicatione colligat, et a proferendi verbi ministerio non recedat? Quia autem necessitate loci saepe viris saecularibus jungor, nonnunquam mihi linguae

disciplinam relaxo. Nam si in assiduo censurae meae rigore me teneo, scio quia ab infirmioribus fugior, eosque ad hoc quod appeto nunquam traho. Unde fit ut eorum saepe et otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter jam ea loqui incipio, quae audire coeperam invitus; et ubi taedebat cadere, libet jacere. Quis ergo ego vel qualis speculator sum, qui non in monte operis sto, sed adhuc in valle infirmitatis jaceo? Potens vero est humani generis creator et redemptor indigno mihi et vitae altitudinem, et linguae efficaciam donare, pro cujus amore in ejus eloquio nec mihi parco.

7. Esse ergo speculatoris vita et alta debet semper, et circumspecta. Ne enim terrenarum rerum amori succumbat, alta sit; ne occulti hostis jaculis feriatur, ex omni latere circumspecta. Neque hoc speculatori sufficit, ut altum vivat, nisi et loquendo assidue ad alta auditores suos pertrahat, eorumque mentes ad amorem coelestis patriae loquendo succendat. Sed tunc haec recte agit, cum lingua ejus ex vita arserit. Nam lucerna quae in semetipsa non ardet, eam rem cui supponitur non accendit. Hinc enim de Joanne Veritas dicit: Ille erat lucerna ardens et lucens (Joan. V, 35). Ardens videlicet per coeleste desiderium, lucens per verbum. Ut ergo servetur veritas praedicandi, teneatur necesse est altitudo vivendi. Unde recte quoque sanctae Ecclesiae sponsi voce in Cantico canticorum dicitur: Nasus tuus sicut turris Libani (Cant. VII, 4). Quae ergo laus est, fratres mei, ut sponsae nasus turri comparetur? Sed quia per nasum semper odores fetoresque discernimus, quid per nasum nisi speculatorum discretio designatur? Qui nimirum nasus et sicut turris esse, et Libani dicitur, quia videlicet praepositorum discretio et munita semper debet esse circumspectione, et in altitudine vitae consistere, id est in valle infirmi operis non jacere. Sicut enim turris in monte idcirco ad speculandum ponitur, ut hostes qui veniunt longius videantur, sic praedicatoris vita semper in

alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fetores vitiorum odoresque virtutum. Incursus malignorum spirituum longe prospiciat, et commissas sibi animas per suam providentiam cautas reddat. Sequitur:

IBID.---Et audies ex ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.

8. Ecce iterum monetur propheta ne praesumat loqui quod non audierit, sed prius aurem cordis aperiat voci creatoris, et postmodum os sui corporis aperiat auribus plebis. Unde propheta alius dicit: Inclinabo ad similitudinem aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam (Psal. XLVIII, 5). Qui enim recte praedicat prius, sicut dictum est, aurem cordis locutioni intimae inclinat, ut postmodum os corporis in propositione admonitionis aperiat. Sequitur:

VERS. 18.---Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.

9. In quibus verbis quid nobis notandum est, quid sollicite cogitandum, nisi quia nec subjectus ex culpa praepositi moritur, nec praepositus sine culpa est quando, verba vitae non audiens, ex sua culpa moritur subjectus? Impio etenim mors debetur, sed ei a speculatore via vitae nuntianda est, et ejus impietas increpanda. Si vero speculator taceat, ipse impius in iniquitate sua morietur, quia impietatis ejus meritum fuit, ut dignus non esset ad quem speculatoris sermo fieret. Sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit, quia ipse hunc occidit, quia eum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque praepositorum, quia ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui praeest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo, fratres

charissimi, pensate, quia et quod nos digni pastores non sumus etiam ex vestra culpa est, quibus tales praelati sumus. Et si quando vos ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro hoc reatu est, quos obsistentes atque reclamantes in pravis desideriis non habetis. Vobis ergo et nobis parcitis, si a pravo opere cessatis. Vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet non tacemus. O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat praedicator egregius qui dicebat: Mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis (Act. XX, 26). Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset. Sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala quae propria habemus alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus.

10. Cum vero dicitur: Sanguinem autem ejus de manu tua requiram, si hoc in loco sanguinis nomine mors corporis designatur, valde nobis de nostro silentio augetur metus, quia si in subjectis suis is qui praelatus ad speculandum est etiam de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus tenetur, quo reatu de morte animae subjectorum constringitur, quae potuisset semper vivere, si verba correptionis audisset? Sed melius possunt sanguinis nomine peccata signari. Unde quidam, cum peccata carnis defleret, dixit; Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae (Psal. L, 16). Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi culpae praepositi, si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est: Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae (Prov. VI, 3). Unde hic quoque additur:

VERS. 19.---Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia; ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.

11. Tunc enim subjectus moritur sine te, quando in causa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti, cui non contradicis, adjungeris. Et notandum quae sunt quae debeant a speculatore praedicari, nimirum fides et operatio. Nam ait: Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia. Impietas quippe ad infidelitatem pertinet, via vero impia ad pravam actionem. Et omnis speculator hoc habere debet studii, ut prius ad pietatem fidei, postmodum ad piam viam, id est ad bonam actionem trahat.

12. Sed quia de exhortatione sermo se intulit, innotescere breviter debemus in ore pastoris quantus esse debeat ordo atque consideratio locutionis. Pensare etenim doctor debet quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, et quantum loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum quippe est: Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti (Genes. IV, 7, sec. LXX). Recte autem offerimus cum bono studio bonum opus agimus; sed recte non dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus. Considerare etenim debemus quid loquamur, ut juxta Pauli vocem, Sermo noster semper in gratia sale sit conditus (Coloss. IV, 6).

13. Pensandum vero nobis est cui loquamur quia saepe increpationis verbum quod haec admittit persona, altera non admittit. Et saepe ipsa eadem persona secundum factum fit altera. Unde Nathan propheta David post adulterium forti increpationis sententia percussit. Qui cum de raptore ovis diceret: Filius mortis est vir qui fecit hoc, ei protinus respondit, dicens: Tu es ille vir (II Reg. XII, 5). Cui tamen cum de Salomonis regno

loqueretur (Ibid., 7), quia culpa defuit, ei se humiliter in adoratione prostravit. In una ergo eademque persona quia causa dispar exstitit, etiam sermo propheticus dissimilis fuit.

14. Pensandum quoque est quando loqui debeamus, quia saepe etsi differtur increpatio, postmodum benigne recipitur. Et nonnunquam languescit, si hoc quo ante proferri debuit tempus amiserit. Nam et sapiens mulier Nabal ebrium videns (I Reg. XXV, 36, 37), increpare de culpa tenaciae noluit, quem digesto vino increpationis suae verbis utiliter percussit. Et Propheta adulantium linguas non esse in subsequenti tempore differendas annuntiat, qui ait: Confundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge (Psal. LXIX, 4). Adulatio etenim si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur, et paulisper demulcet animum, ut a rigore suae rectitudinis mollescat in delectatione sermonis. Sed ne crescere debeat, statim est et sine mora ferienda.

15. Pensandum quoque nobis est qualiter loquamur. Nam saepe verba quae hunc ad salutem revocant, alium vulnerant. Unde Paulus quoque apostolus qui Titum admonet, dicens: Argue cum omni imperio (Tit. II, 15), Timotheum exhortatur, dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (II Tim. IV, 2). Quid est quod uni imperium, et alii patientiam praecipit, nisi quod unum lenioris, alterum vero ferventioris spiritus esse conspexit? Leni per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi, is autem qui per spiritum fervebat per patientiam temperandus fuerat, ne si plus justo infervesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret.

16. Curandum quoque quantum loquamur, ne si ei qui multa ferre non valet verbum vel exhortationis vel increpationis longius trahimus, auditorem nostrum ad fastidium perducamus. Unde idem praedicator egregius Hebraeis loquitur, dicens: Obsecro vos, fratres, ut

sufferatis verbum solatii, etenim perpaucis scripsi vobis (Hebr. XIII, 22). Hoc tamen infirmis praecipue congruit, ut pauca quidem, et quae praevalent capere, audiant, sed quae eorum mentem in poenitentiae dolorem compungant. Nam si eis uno in tempore exhortationis sermo fuerit multipliciter dictus, quia multa retinere non valent, simul amittunt omnia. Unde et medici corporum pannos quos infirmantibus stomachis ponunt, apto quidem medicamine, sed subtiliter liniunt, ne si repleti multo medicamine fuerint, infirmitatem stomachi non roborantes adjuvent, sed opprimentes gravent.

17. Sciendum tamen quia etsi quando modum suum sermo prolixior transeat, periculosum hoc auditoribus non est. Si autem qualiter quid dicatur, et quibus dicatur, non vigilanter conspicitur, valde periculosum est. Verecundae etenim mentes, si quas fortasse culpas admiserint, leniter arguendae sunt, quia si asperius increpentur, franguntur potius quam erudiantur. At contra mentes asperae atque impudentes, si increpatae leniter fuerint, ad majores culpas ipsa lenitate provocantur.

18. Quod bene in eodem egregio praedicatore discimus, qui cum Corinthios cognosceret pro amore personarum in schismate divisos, eorum verecundiae consulens, locutionem suam eis a gratiarum actione et laudibus coepit, dicens: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis (I Cor. I, 4). Qui adhuc adjungit et dicit: Ita ut nihil desit vobis in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi (Ibid., 7). Quaeso te, Paule, si jam nihil deest, cur eis scribendo fatigaris? Cur in longinquo positus loqueris? Pensemus ergo, fratres charissimi, quantum laudat. Ecce eis gratiam Dei datam asserit, factos in omnibus divites dicit in omni verbo et in omni scientia; Christi testimonium, id est quod de

semeptiso moriendo et resurgendo testatus est, in eorum vita confirmatum esse perhibet, et nihil eis deesse in ulla gratia testatur. Quis, rogo, credat quia paulo post eos corripiat, quos ita laudat? Nam post caetera subjungit: Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata (Ibid., 10). Quid enim potuit tam perfectis tanquam laudabilibus schisma subrepere? Significatum enim est mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi (Ibid., 11 et 12). Ecce quos in omni verbo et in omni scientia laudaverat, quibus nihil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens, ad increpandum leniter veniens, divisos erga seipsos reprehendit; et quorum prius salutem narraverat, postmodum vulnera patefecit. Peritus enim medicus vulnus secandum videns, sed aegrum timidum esse conspiciens, diu palpavit, et subito percussit. Prius blandam manum laudis posuit, et postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim verecundae mentes fuerint palpando reprehensae, ita ut ex aliis rebus audiant quod in consolationem sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt.

19. Sed nunquid mentitus est Paulus, ut prius eis nil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse? Absit hoc: quis de illo talia vel desipiens credat? Sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, et erant quidam in personarum favoribus excisi, coepit a laudibus perfectorum, ut modesta invectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum. Et in hoc quoque ad medicinam cordis a medicina corporis usum trahens. Nam cum feriendum vulnus medicus aspicit, prius ea membra quae circa vulnus sana sunt palpat, ut post ad ea quae vulnerata sunt leniter palpando perveniat. Cum ergo Paulus perfectos in Corinthiis laudavit, sana membra juxta vulnus

tetigit; cum vero infirmos de divisione reprehendit, vulnus in corpore percussit.

20. Videamus tamen hunc ipsum qui tanta modestia atque mansuetudine ad corripiendos Corinthios ducitur, qualiter contra Galatas, qui a fide discesserant, exercetur. Nulla enim modestiae patientia praemissa, nulla locutionis dulcedine praerogata, eos quos a fide discessisse cognovit, ab ipso epistolae suae exordio invehendo redarguit. Nam praemissa salutatione, sic coepit: Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratia Christi (Galat. I, 6). Quibus etiam in aperta increpatione post caetera subjungit: O insensati Galatae, quis vos fascinavit (Ibid. III, 1)? Mentes etenim durae nisi aperta essent increpatione percussae, nullo modo malum cognoscerent quod egissent. Nam saepe hi qui impudentes sunt tantum se peccasse sentiunt, quantum de peccatis quae fecerint increpantur, ut minores culpas suas aestiment, quas minor invectio castigat, et quas vehementer objurgari viderint, majores esse deprehendant. Unde necesse est ut semper sermo praedicantis cum auditorum debeat qualitate formari, ne aut verecundis aspera, aut impudentibus lenia loquatur. Quid autem mirum si hoc verbi Dei erogator faciat, cum et agricola qui semina in terram mittit prius terrae qualitatem praevidet quibus seminibus apta videatur, et postquam qualitatem praeviderit, tunc semina spargit? Sed quia de qualitate doctrinae locutionem longius traximus, oportet ut ad eum quem coepimus exponendi ordinem redeamus.

VERS. 20.---Sed etsi conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo; ipse morietur, quia non annuntiasti ei. In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiae ejus quas fecit; sanguinem vero ejus de manu tua requiram.

21. Quia justo qui in peccato cecidit praedicator tacuit, ejus sanguinis reus tenetur. Et qui sollicitus esse non studuit in praedicatione, factus est particeps in damnatione. Sed cum dicitur: In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiae ejus quas fecit, hoc nobis maxime considerandum est, quia cum mala committimus, sine causa ad memoriam bona nostra transacta revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum praeteritorum. Sed quaeri potest utrum justo postquam ceciderit praedicandum sit, an et priusquam cadat? Invigilare praedicator debet, ne ad casum veniat, procul dubio et priusquam cadat. Nam sequitur:

VERS. 21.---Si autem tu annuntiaveris justo ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei; tu autem animam tuam liberasti.

22. Si ergo praedicator ideo animam suam liberavit quia justo ne peccaret denuntiavit, cum justus ad peccatum, praedicatore tacente, cecidit, praedicator quia tacuit, reus tenetur. Sed quis nostrum, rogo, ad haec sufficiat, ut non solum peccatores studiose corripiat, sed etiam justis invigilet ne cadant? Nos enim, infirmitatis nostrae conscii, cum justos viros conspicimus, admonere eos non praesumimus ut justitiae viam teneant, quam quia tenent videmus; et tamen praedicatoris est debitum etiam justos admonere. Unde praedicator egregius dicebat: Sapientibus et insipientibus debitor sum (Rom. I, 14).

23. In his vero omnibus quae de justo ad iniquitatem converso dicta sunt, hoc est laboriosum ad loquendum, hoc valde pertimescendum, quod Dominus dicit: Ponam offendiculum coram eo. Ait enim: Si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Nos enim dicimus quia si iniquitatem fecerit,

offendit, et verum est omnino quod dicimus. Cur adhuc ei Deus omnipotens offendiculum ponit, quem jam impegisse et cecidisse per iniquitatem quam perpetraverit conspicit? Sed districta sunt omnipotentis Dei judicia; et qui peccatorem diu exspectat ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc ubi gravius impingat.

24. Peccatum quippe quod per poenitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et poena peccati, aut peccatum simul et causa et poena peccati. Omne enim quod prius committitur peccatum est. Sed si citius poenitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quae flendo et corrigendo noluit emendare quod fecerit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod poenitentiae lamento non diluitur, peccatum simul est et causa peccati, quia ex illo oritur unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur, peccatum simul est et poena peccati, quia, excrescente caecitate, ex retributione prioris culpae generatur, ut quasi jam quaedam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam ut unum idemque peccatum et peccatum sit et poena peccati, simul et causa peccati. Ponamus enim ante oculos quempiam rem proximi concupisse, quam quia aperte non valuit, furto diripuit, sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse jurejurando denegavit. Huic ergo concupiscentia peccatum fuit et causa peccati, quia per eam pervenit ad rapinam. Ipsum vero furtum quo rem concupitam diripuit, et peccatum ei factum est et poena peccati, quia ex retributione jam non repressae concupiscentiae factum est ut veniret ad furtum, et culpa cordis excresceret in opere ex ultione caecitatis. Sed quia furtum perjurio tegere curavit, ex peccato rursum peccatum genuit. Furtum ergo quod ex concupiscentia processit, et perjurium protulit, peccatum et poena

peccati factum est culpae praecedenti, peccatum et causa peccati culpae subsequenti, quia de illa natum hanc genuit. Quod bene Paulus de quibusdam Deum intelligentibus, sed non honorantibus insinuavit, dicens: Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis (Rom. I, 21). Ecce est peccatum et causa peccati. Ex qua causa quid sequatur adjungit: Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium (Ibid., 22, 23). Ecce est peccatum, et poena peccati. Sed peccatum solummodo et poena peccati esset, si non adhuc ex hoc peccato et aliud sequeretur. Nam post infidelitatem eorum subditur: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis (Ibid., 24). Qui igitur cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ex eo peccato et causa peccati ad hoc quoque perducti sunt, ut ad cultum serpentium et volucrum laberentur. Sed quia per hanc etiam caecitatem usque ad immunditiam et carnis contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum caecitas praecedenti intellectui et peccatum est, et poena peccati, subsequenti vero immunditiae peccatum facta est et causa peccati. Sed quia de his in libris Moralibus diu tractatum est (Lib. XXV Moral., n. 23, 24), nobis nunc in eis diutius immorandum non est.

25. Hoc autem nobis cum tremore considerandum est quomodo justus et omnipotens Deus, cum praecedentibus peccatis irascitur, permittit ut caecata mens etiam in aliis labatur. Unde S. Moyses ait: Nondum completa sunt peccata Amorrhaeorum (Genes XV, 16). S. David quoque ait: Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, ut non intrent in justitiam tuam (Psal. LXVIII, 28). Propheta etiam alius dicit: Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem

tetigit (Osee IV, 2). Sanguis enim sanguinem tangit quando peccato peccatum additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus apostolus ait: Ut impleant peccata sua semper (I Thess. II, 16). Joanni quoque per angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc (Apoc. XXII, 11). Unde nunc etiam Dominus dicit: Si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Ac si aperte dicat: Quia videre poenitendo noluit ubi jam impegit, justo eum judicio deserens, ponam ei ut et alibi impingat. Quod tamen Domini ponere est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare; sicut de Pharaone dicitur: Ego indurabo cor ejus (Exod. VII, 3). Non enim cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Misericors enim Deus tempus nobis ad poenitentiam relaxat; sed cum ejus gratiae patientiam nos ad augmentum vertimus culpae, hoc ipsum tempus quod ad parcendum pie disposuit districtius ad feriendum vertit, ut cum reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est: Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei (Rom. II, 4). De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die irae reprobus thesaurizat, quia dum ad poenitendum tempus accipitur, et ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiae vertit in augmentum culpae. Unde et omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpae augmentum trahi, ipsam benignitatem quam contulit in judicii districtionem vertit, ut inde post amplius feriat, unde modo amplius exspectat. Et quia homo deserere malum non vult ut vivat, auget unde moriatur. Sed sive justus in culpam, sive peccator in mortem corruat, speculatori timendum est ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter involvat.

26. Sed interim dum loquor, avertere a memetipso oculos volo, et ecce iterum sermo divinus me impingit in memetipsum, ut meam negligentiam videam, et mihi dici haec quae audio pertimescam. Sicut enim superius dixi (Num. VI), cujus cor in curis innumeris exsparsum se ad se colligat? Quando etenim possum et ea quae circa me sunt sollicite omnia curare, et memetipsum adunato sensu conspicere? Quando possum pravorum nequitias insequendo corrigere, bonorum actus laudando et admonendo custodire, aliis terrorem atque aliis dulcedinem demonstrare? Quando valeo et de his quae sunt necessaria fratribus cogitare, et contra hostiles gladios de urbis vigiliis sollicitudinem gerere, ne incursione subita cives pereant, providere, et inter haec omnia pro animarum custodia plene atque efficaciter verbum exhortationis impendere? Loqui etenim de Deo quietae valde et liberae mentis est. Tunc namque bene lingua dirigitur in sermone, cum secure sensus quieverit in tranquillitate, quia nec concussa aqua imaginem respicientis reddit, sed tunc in ea vultus intendentis aspicitur, cum non movetur. Quam ergo exhortationem vobis speculator vester, fratres charissimi, faciat, quem tot rerum confusio perturbat? Certe is de quo loquimur propheta revelatione ultima templum videns, quae in eodem templo conspexerit inter caetera narrat, dicens: Terra usque ad fenestras, et fenestrae clausae (Ezech. XLI, 16). Paulus quoque apostolus dicit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor. III, 17; II Cor. VI, 16). In hoc autem templo fenestrae sacerdotes et speculatores sunt, qui in populo fidelium lumen sanctae praedicationis fundunt. Sed cum terra usque ad fenestras est, fenestrae clausae sunt, quia cum terrena cogitatio in sacerdotum cordibus excrescit, fenestrae lumen non fundunt, quia sacerdotes ab officio praedicationis obmutescunt.

27. Est et aliud valde in ordine sacerdotum grave, quia non sicut hi qui vitam quietam ac remotam ducunt fixi valent in sua cogitatione permanere. Hi enim, sicut

superius diximus, qui a loco regiminis longe sunt possunt peccatorum suorum maculas et fletibus lavare, et post fletus in eodem mentis moerore persistere, sicut de bona quoque muliere scriptum est, quae ad tabernaculum oraverat, et ab intentione sua animum post compunctionis gratiam non mutabat, cum dicitur: Vultusque ejus non sunt, amplius in diversa mutati (I Reg. I, 18). In qua nobis considerandum est quia si sic planxit mulier quae quaerebat filium, quomodo debet plangere anima quae quaerit Deum? Sacerdos vero etiam post compunctionem ac lacrymas cogitur necessaria quaeque filiorum suorum cognoscere, et ea quae refugit animus patienter audire, atque post suspiria coelestium quorumlibet carnalium hominum onera portare, et saepe cum supervenientibus cor in diversas qualitates transfundere. Nam aliquando de lucris spiritalibus gaudet, sed cum quilibet moerens supervenerit, nisi ejus moerorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget, et repente superveniunt qui de quibusdam suis prosperitatibus laetantur; quorum si laetitiae sacerdos non congaudet, minus amare creditur filios in quorum gaudio non exsultat, praecipue cum Paulus dicat: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (Rom. XII, 15).

28. Nihil ergo tam onerosum ordini sacerdotum video quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare; et tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex praedicatione ejus ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse praedicator videtur ingratus? Unde per hunc quoque eumdem prophetam in extrema parte dicitur: Et cum sacerdotes intrinsecus ministrant, vestibus laneis non utantur (Ezech. XLIV, 17). De quibus subditur: Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimenta sua in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii (Exod. XXVIII, 43; Ezech. XLIV, 19). Grossiora quippe vestimenta sunt lanea. Sed cum

sacerdos ad sanctum ministerium accedit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est quasi lineo vestimento vestiatur. Sed cum ad populum foras egreditur, oportet ut vestimenta in quibus intrinsecus ministraverat reponat, atque populo aliis vestibus indutus appareat, quia si in compunctionis suae rigore se teneat, si in eo quem orationis tempore habuit moerore perduret, exteriorum rerum verba suscipere non admittit. Et quid grex de necessariis faciat, si audire atque perpendere et hoc quod praesens tempus exigit, Pastor recusat? Grossiora ergo vestimenta sacerdos exiens ante populum induat, ut mentis suae habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat. Pensate, rogo, fratres charissimi, quantus speculatori labor sit et ad sublimia cor tendere, et hoc repente ad ima revocare, et in sublimitate cognitionis intimae extenuare animum, et propter exteriores causas proximorum, ut ita dicam, subito in cogitatione crassescere.

29. Non ergo mihi modo necesse est prophetae verba exponere, sed meam coram vobis miseriam deflere. Unde peto ut vestra me oratio talem faciat qualis et mihi valeam et vobis prodesse. Potens est indigno mihi et infirmo ex vestra intercessione ista tribuere, qui ex sua pietate pro nobis dignatus est infirmari. Virtus enim Dei est atque sapientia (I Cor. I, 24), quae nostram infirmitatem sumpsit, ut ex sua nos firmitate roboraret, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

Quod residuum est capitis tertii decurrit, et usque ad versum 4 capitis quarti suam explanationem perducit, quam ad varia sive praecepta sive consilia moralia pro praedicatoribus et auditoribus inflectit.

1. Servata veritate historiae, divina eloquia aliquando ex tempore, aliquando ex loco causas designant, quas aperto sermone non indicant. Ex tempore etenim, sicut praedicante Judaeis Domino per evangelistam dicitur: Hiems erat (Joan. X, 22). Inter illa enim mysteria quae Veritas loquebatur quid causae fuit ut nomen hiemis adderetur, nisi ut per qualitatem temporis ostenderet frigus cordis? Quia et cum verba veritatis acciperent, frigida Judaeorum corda remanebant. Aliquando vero ex loco, sicut carnali Israelitico populo, descendente de monte Moyse, lex in campestribus data est (Exod. XX, seq.); et sanctis apostolis Dominus in monte sedens summa et spiritalia praecepta locutus est (Matth. V, 1), ut ex locis videlicet monstraretur quia et illis tanquam carnalibus mandata minima dabantur in valle terrarum, et isti tanquam spiritales et sancti in monte mandata coelestia audirent, quatenus aperte monstraretur quod ascendentes corde ad coelestia infima mundi relinquerent, et in mentis culmine starent. Unde nunc Ezechiel propheta quid jubente Deo in locis egerit describit, ut per locorum qualitates indicet quid in posterum de prophetiae mysteriis sequeretur. Ecce enim ait:

VERS. 22.---Facta est super me manus Domini, et dixit ad me: Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum.

2. Quid est hoc, quod prius Dominus in medio Israelitarum locutus ad prophetam suum fuerat, et tamen postmodum dicit: Egredere in campum, et ibi loquar tecum, nisi quod prophetiae suae gratiam et prius Judaeae infundere, et hanc postmodum dignatus est in latitudinem gentium demonstrare? Neque enim immerito per campum gentilitas designatur, quae longe lateque, id est in universo mundo distenditur. Ubi et subditur:

VERS. 23.---Et surgens egressus sum in campum, et ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi juxta flumen Chobar.

3. In campo gloriam Domini propheta vidit, quam juxta flumen Chobar in medio Israelitarum viderat, quia ipsa ejus majestas gentibus apparuit, quae prius se electis in Judaico populo, revelante Spiritu, declaravit. Sequitur:

IBID.---Et cecidi in faciem meam.

4. Visa gloria Domini in faciem suam propheta cadit, quia quamvis homo ad intelligenda sublimia elevetur, ex contemplatione tamen majestatis Dei infirmitatem suae conditionis intelligit; et quasi statum non habet, qui se ante Dei oculos esse cinerem et pulverem videt. Sequitur:

VERS. 24.---Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos.

5. Cum nos humiliter Deo sternimus, cum esse nos pulverem cineremque cognoscimus, cum infirmitatem conditionis propriae pensantes, statum rigiditatis et superbiae non habemus, omnipotens Deus per suum nos spiritum levat, et super pedes nostros statuit, ut qui humiliter apud nos ex infirmitatis nostrae cogitatione jacuimus et jacemus, in bono post opere quasi super pedes ex rectitudine stemus. Quod cur in campo de propheta agitur, nisi ut specialiter designetur quia etiam electis gentium Spiritus sanctus dandus esset, qui eos quos assumeret, et prius a superbiae suae statu dejiceret, et postmodum super pedes suos, id est super bona opera solidaret? Sicut per Paulum dicitur: Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris (Hebr. XII, 12). Sequitur:

IBID.---Et locutus est mihi et dixit ad me: Ingredere et includere in medio domus tuae.

6. Quid est, quod de medio Israelitici populi propheta ad campum educitur, atque ad domum postea de campo revocatur, nisi quod praedicationis gratia a Judaico populo ablata, in latitudine gentilitatis sparsa est? Sed tamen in fine mundi dum Judaei ad fidem redeunt, quasi ad domum propheta reducitur, ut in suo populo rursus praedicatio inhabitet, quae modo velut in campo ita diversis gentibus fulget. Scriptum quippe est: Donec plenitudo gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. XI, 25). Quia et per prophetam alterum dicitur: Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiae salvae fient (Isai. X, 22; Rom. IX, 27). Exeat ergo propheta de medio populi ad campum, de campo redeat ad domum, ut praedicatio quae Judaeae facta est, egrediatur ad gentes, et repletis fide, gentibus, recipiat Judaea spiritalis doctrinae dona, quae amisit. Includi autem propheta in medio domus suae praecipitur, quia Antichristi tempore ab eis gentibus quae in infidelitate remanserint plebs conversa Judaeorum duris persecutionibus angustatur. Unde scriptum est: Atrium autem quod est extra templum ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus (Apoc. XI, 2).

VERS. 25, 26.---Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum; et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.

7. Quae videlicet verba si per typicae expositionis ordinem sequimur, propheta in domo sua vincula suscipit et ligatur, quia in extremis, cum Judaea crediderit, gravissimas Antichristi tempore persecutiones sentit, ita ut praedicationes ejus ministri iniquitatis non recipiant,

sed resistendo has vinculis dolorum premant. Et in medio eorum non egreditur, quia ad corda pravorum praedicatio non pervenit, dum lingua bonorum ligata tribulationibus tacet. Erunt etenim tunc multi ex Judaeis infidelibus qui eosdem ipsos qui ex Judaeis crediderint persequentur. Unde notandum est quod hic quoque dicitur, quia in domo sua vincula propheta sustineat: ut videlicet designetur quoniam et ex ipso suo genere Judaea cum fidelis fuerit tribulationem persecutionis portet. Dum enim Unigenitus summi Patris incarnatus ac mortuus resurrexisse atque ad coelos ascendisse non creditur, sicut per sacrae Scripturae paginas praedicatur, nimirum apud Judaeos prophetia ligata erit. Quae si ita ut dicta est in eorum intellectum decurreret, quasi gressus liberos suae praedicationis habuisset.

8. Reprobis ergo tunc praedicatorum scientia tacere compellitur. Unde et hic subditur: Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Sed quia, Enoch et Elia praedicante, multi ex his qui tunc ex Judaeis in infidelitate remanserint ad cognitionem veritatis redeunt, sicut de eodem Elia dicitur: Elias veniet, et ipse restituet omnia (Matth. XVII, 11; Marc. IX, 12; Malach. IV, 5), qui utrique per Zachariam duae olivae (Zach. IV, 3), et per Joannem duo candelabra nominantur (Apoc. XI, 4), recte hic quoque subjungitur:

VERS. 27.---Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus.

9. Tunc enim velut in extremo os prophetae aperitur, cum in praedicatione Enoch et Eliae a Judaeis ad fidem redeuntibus prophetia sacri eloquii de Christo fuisse cognoscitur. Sed quia haec typice diximus, nunc verba eadem charitati vestrae moraliter disseramus.

10. Quid enim est, quod exire propheta ad campum jubetur, nisi quod unusquisque qui praedicat propter eos quos extra se positos corrigit, atque ab iniquitate compescit, loquendo ad campum exit? Ibique gloriam Domini videt, quia tanto largius doctrinae gratiam percipit, quanto se in labore praedicationis ex amore proximorum tendit. Foras ergo exeundo in altam visionem ducitur, quia unde in alienis cordibus ignorantiae caecitatem ministerio suae locutionis illuminat, inde eum superna gratia in altiorem intelligentiam exaltat. Sed quia semper praedicator debet ad mentem recurrere, humilitatem atque munditiam intrinsecus custodire, post campum necesse est ut ad domum redeat, quatenus in his quae dicit qualis etiam ipse sit intra conscientiam agnoscat. Si enim aut hoc quod loquitur minime custodit, aut de his quae loquitur temporalem gloriam requirit, loquendo quidem ad campum exit, sed non cogitando semetipsum ad domum redire contemnit. Accepto etenim spiritu, in medio domus includimur, quando per ejus gratiam ad discutienda mentis nostrae secreta revocamur, ut apud seipsum in Deo animus quiescat, et non jam per exteriores concupiscentias in appetitum laudis et gloriae cogitationis mobilitate discurrat.

11. De hac domo cordis cuidam sanato per semetipsam Veritas dicit: Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam (Joan. V, 8; Marc. II, 9). Per grabatum quippe in quo carnis est requies, ipsa caro signatur, per domum vero conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto; cum vero sanati fuerimus mente, ut jam pulsantibus carnis vitiis resistamus, necesse est ut et tentationum contumelias de nostra carne toleremus. Aegro itaque ad salutem reducto praecipitur: Tolle grabatum tuum, id est porta lectum in quo portatus es, quia necesse est ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat aegrotus. Quid est ergo dicere: Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam,

nisi, porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quae fecisti? Propheta itaque post campum in domo includi praecipitur, ut praedicator semper, post gratiam doctrinae quam proximis ministrat, ad conscientiam redeat, seque ipsum subtili examinatione discutiat, ne de his quae foris praedicat aliquid ipse apud se intrinsecus transitoriae laudis quaerat.

12. Unde et per Salomonem dicitur: Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide (Prov. V, 15); habeto eas solus, nec sint alieni participes tui (Ibid., 16). Valde autem contraria esse videntur quae dicit: Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide, cum protinus adjungit: Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Quomodo enim aquam scientiae solus habere poterit, si hanc in plateis dividit? Quomodo alieni aquae ejus participes non sunt, si fontes illius foras derivantur? Sed cum praedicamus populis, nimirum in plateis aquas dividimus, quia in auditotorum multitudinem scientiae verba dilatamus. Cum vero nos, adjuvante divina gratia, intrinsecus custodimus, et ne maligni spiritus qui jure a nobis alieni sunt quia sortem beatitudinis perdiderunt, nobis in elatione subripiant, sollicitudine cauta circumspicimus, soli habemus aquas quas in plateis dividimus, ut nobis in eis alieni participes non sint. Hi nimirum, de quibus scriptum est: Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam (Psal. LIII, 5). Aquas ergo et in plateis dividit, et solus habet, qui per hoc quod multis praedicat, se in cogitatione temporalis gloriae non exaltat. Tunc enim possidet homo quod docet, quando se non gaudet innotescere, sed prodesse. Ex campo ergo propheta ad domum reducitur, ut is qui ex Deo loquitur, postquam pro utilitate proximorum loquendo foras exierit, ex humilitate semper ad discutienda cordis sui secreta revocetur. Unde et subditur:

VERS. 25.---Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum.

13. Cum enim praedicator quisque ad conscientiam domus suae reducitur, super eo vincula dantur, et ligatur in eis, quia quanto plus se in cogitatione discusserit, tanto amplius agnoscit justi anima quantis mortalitatis suae infirmitatibus sit ligata. Nisi enim se ligatum conspiceret Paulus, minime dixisset: Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse (Philip. I, 23). Hinc per Psalmistam dicitur: Ut audiret gemitum vinculatorum, et solvat filios interemptorum (Psal. CI, 21). Et rursus: Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum (Psal. LXXVIII, 11). Saepe autem cum jam anima ad Redemptoris sui speciem contemplandam exire desiderat, cum coelestibus gaudiis interesse suspirat, ipsa mortalitatis suae vincula conspicit et gemit, quibus adhuc in praesenti mundo ligata retinetur. Hinc est enim quod subtile omnipotentis Dei judicium intuens Jeremias, ait: Circumaedificavit adversum me ut non egrediar, aggravavit compedem meam (Thren. III, 7). Habemus enim compedes, ipsam infirmitatem atque corruptionem mortalitatis nostrae; sed cum tribulatio nobis et gemitus additur, ipsae nostrae compedes aggravantur. Et quidem quandiu in hac vita justus moras patitur, loquendo bona, prodesse aliis festinat; sed cum duras mentes conspicit, easque considerat contentionibus occupari, praedicationis verbum retinet. Et in medio eorum non egreditur, quia a bonis quae loqui poterat obmutescit, sicut per Paulum dicitur. Nihil per contentionem (Philip. II, 3). Et rursus: Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus (I Cor. XI, 16). Unde hic quoque apte subjungitur:

VERS. 26.---Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.

14. Aliquando vero etiam contra resistentium linguas praedicantium corda zelo sui Dominus accendit ne taceant, sed dicta fallacium verbis veritatis premant. Unde hic subditur:

VERS. 27.---Cum autem locutus fuero tibi, aperies os tuum, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus.

15. Sed haec quae breviter sub duplici intellectu discussimus placet ut juxta considerationem litterae leviter tangendo transeamus. Quid enim nobis amplius per ipsa verba historiae quam virtus obedientiae commendatur? Cum modo ad transmigrationem juxta fluvium Chobar pergere, modo ad campum egredi, modo ex campo ad domum redire propheta praecipitur? Ut prius ex jussione pergens, et paulo post exiens, atque iterum domum rediens, et semetipsum recludens, semper suae voluntatis arbitrium ad divini eloquii praeceptum frangat, quatenus, in coelesti jussione suspensus, non suam, sed conditoris sui voluntatem impleat? Cui dicitur: Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum. Qua in re notandum est quod adversa propheta praenoscit, ut contra omnia paretur. Minus enim mala contra mentem praevalent, quae inopinata non veniunt; et tamen dum contraria praenoscuntur, quanta sit in eo obedientiae virtus ostenditur, qui et cognoscit quod adversa passurus est, et tamen voci dominicae inobediens non est. Magna autem consideratione indigent verba quae protinus adduntur: Et linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Discernendum quippe nobis est utrum pro solis malis auditoribus, an aliquando etiam pro vitio praedicantis praedicationis sermo subtrahatur.

16. Quatuor enim qualitatibus res haec considerata distinguitur. Nam aliquando propter malos auditores bonis tollitur sermo doctoribus. Aliquando vero propter

bonos auditores datur sermo doctoribus etiam malis. Aliquando autem propter docentium atque audientium justificationem bonis sermo doctoribus datur, ut et ipsi per meritum crescant, et auditores eorum in intellectu et vita proficiant. Aliquando vero quia nec hi digni sunt accipere quibus doctrinae sermo profertur, neque illi doctrinae verbum proferre qui locum docendi tenent, praedicationis sermo tollitur, ut utraque pars districte judicetur. Propter malos namque auditores bonis sermo doctoribus tollitur, sicut nunc ad Ezechielem dicitur: Linguam tuam adhaerescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. Et sicut Paulo dicitur: Festina et exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me (Act. XXII, 18). Et sicut volentibus apostolis praedicare in Asia, scriptum est quia prohibuit eos spiritus Jesu (Act. XVI, 6). Propter bonos auditores etiam malis doctoribus sermo datur, sicut de Pharisaeis Dominus dicit: Omnia quaecunque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt (Matth. XXIII, 3). Propter docentium quoque meritum et audientium justificationem sermo doctrinae tribuitur, sicut sanctis apostolis dicitur: Euntes docete omnes gentes (Ibid., XXVIII, 19). Propter malos vero auditores et indignam vitam eorum qui docere debuerant, sermo doctrinae subtrahitur, sicut Heli ad corrigendos filios districtae increpationis verbum non habuit (I Reg. II, 29; III, 13) quia et ejus negligentia, et filiorum exigebat vita, ut cum eis et populus caderet, et arca Domini capta ad Allophylos transiret (Ibid., IV, 11, seq.) Magna enim omnipotentis Dei est gratia cum inique agentibus durus a doctoribus sermo increpationis profertur. Quo contra nunc dicitur: Et eris mutus, nec quasi vir objurgans. Delinquentes etenim objurgasset, si digni ipsa objurgationis gratia fuissent.

17. Sed cum in doctrina atque in silentio sit meritorum tanta diversitas, ut sciri facile non possit,

utrum ex auditoris an ex ejus vitio qui doctrinae locum videtur tenere docendi sermo subtrahatur, quid aliud nobis quam servari semper in rebus dubiis humilitas jubetur? Ut et quando loqui possumus non extollamur, ne fortasse haec ipsa locutionis nostrae gratia non nobis, sed auditoribus nostris collata sit; et rursus quando loqui non possumus, hi qui nobis commissi sunt minime nos dijudicent, ne fortasse non ex nostro, sed ex peccato audientium loqui minime possimus. Ad hoc ergo nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, ut unam certam gratiam teneamus humilitatem, quatenus et nos cum loquimur, ex omnipotentis Dei dono hoc esse, vestrum meritum putemus. Et quando a locutione doctrinae obmutescimus, quamvis nostra culpa sit, vos tamen hanc esse vestram specialiter credatis, ut cum vicissim mala nobis tribuimus, et bona aliis, per ipsam humilitatis gratiam fiat ut doctrinae sermo, qui ablatus fuerat, redeat. Sequitur:

VERS. 27.---Cum autem locutus fuero tibi, aperies os tuum, et loqueris ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat, quia domus exasperans est.

18. Saepe quidam verbum Dei audire desiderant, sed dum alios conspiciunt aurem avertere, etiam ipsi a salutis auditu deviant; et plerumque multi quiescere appetunt, atque a cunctis mundi hujus actibus vacare, nullis jam desideriis terrenis succumbere, sed dum vident alios inquiete agendo proficere, atque in hoc mundo divitiis et honoribus extolli, quia necdum in via rectitudinis firmi sunt, ad prava opera ex aliorum exemplo delabuntur. Hinc est enim quod in typo infirmantium Psalmista loquens, dicebat: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei (Psal. LXXII, 2, 3), quia zelatus sum in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Hinc iterum dicit: Dum superbit impius, incenditur pauper (Psal. X, 2), Hinc ad Jeremiam prophetam voce

dominica de Juda et Israel dicitur: Nunquid vidisti quae fecerit aversatrix Israel? Abiit sibimetipsa super omnem montem excelsum, et sub omne lignum frondosum, et fornicata est ibi. Et dixi cum fecisset haec omnia: Ad me convertere, et non est reversa (Jerem. III, 6, 7). Ubi statim subditur qualiter ex aemulatione ejus etiam Juda cecidit, quae stare videbatur. Ait enim: Et vidit praevaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod maechata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii; et non timuit praevaricatrix Juda soror ejus, sed abiit et fornicata est etiam ipsa (Ibid., et 8). Ecce misericors Deus contemnitur et vocat, aversantibus se signum misericordiae aperit, quia peccanti dicit: Ad me convertere, et tamen non est conversa (Ibid., 7). Sed quia omnipotentem Deum plebs Israelitica deseruit, reverti nolens, libellum repudii accepit. Deseruit videlicet peccando, sed libellum repudii accepit in suis iniquitatibus sine flagello remanendo. Anima enim quae peccat, recedit. Sed si eam post peccatum prosperitas sequitur, nulla disciplina, nulla districtionis increpatio revocat ad cor; in divisione quam inter se et Dominum fecit, etiam libellum repudii accepit, ut jam, velut aliena derelicta, faciat mala quae vult, zeli Dei flagella non sentiat, quatenus ad aeterna supplicia profundius descendat. Sed soror ejus Juda, quoniam dimissam Israeliticam plebem in suis voluptatibus vidit, ipsa quoque in immunditiam fornicationis exarsit. Quia enim aspexit adulteram in sua perversitate florere, etiam ipsa non timuit deterius peccare, atque a conjunctione Domini, quasi a viri legitimi cubili, recedere. Unde necesse est ut peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. Hinc enim per Salomonem dicitur: Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos (Prov. I, 32). Qui enim a Deo avertitur et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinae invenitur alienus. Dicatur ergo: Qui audit audiat, et qui quiescit quiescat, quia domus exasperans

est. Ac si aperte diceretur: Vos, qui jam et verba veritatis audire, et a prava coepistis actione quiescere, nolite illos imitari quorum me exasperari moribus videtis.

19. Quod tamen intelligere et aliter possumus. Quidam enim verbum audientes non audiunt, quoniam aurem ad sacrum eloquium ponunt, sed cor a mundi desideriis non evellunt. Et sunt nonnulli qui quiescentes minime quiescunt, quia a pravis quidem actibus otiosi sunt corpore, sed perversitates operum ex dilectione versant in mente. Hinc est enim quod de Judaea ad captivitatem perveniente scriptum est: Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus (Thren. I, 7). Hostes quippe Sabbata derident, quando maligni spiritus otiosae menti pravas cogitationes injiciunt, ut et si quiescit ab opere, non quiescat a malorum operum delectatione. Recte ergo nunc dicitur: Qui audit audiat, quatenus sic fiat sermo in aure corporis, ut sonet in aure cordis. Et qui quiescit quiescat, ut pravitatis desideria repellantur a cogitatione, cum jam repulsa videntur ab opere. Ubi ne malorum, sicut diximus, exempla sequamur, adjungitur: Quia domus exasperans est. Mali autem etsi diu tolerantur, subito corruunt, et eorum poenas infirmi conspiciunt, ne quorum culpas impunitas existimant imitentur. Unde hic quoque ejusdem Judaeae desolatio subjungitur, quae domus exasperans vocatur, cum protinus prophetae suo Dominus dicit:

EZECH. IV, 1, 2, 3.---Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginem ferream et pones eam murum ferreum inter te et civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam. Signum est domus Israel.

20. In quibus videlicet verbis quid aliud juxta historiam nisi Jerosolymae urbis obsessio atque destructio designatur, et peccatoris populi afflictio exprimitur? Qui domus exasperans vocatur, cum aperte dicitur: Ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. Sed quia verba prophetiae sic plerumque narrant historica, ut per haec etiam mystica describantur, oportet ut haec eadem dicta quae protulimus spiritaliter disseramus, maxime quia in eis interponitur quod teneri posse ad litteram non videtur, cum dicitur: Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem. Nisi enim rebus historicis mystica miscerentur, quid sartago ferrea necessaria prophetae fuit, ut hanc inter se et civitatem poneret, quatenus se ab ejus obsidione separaret? Cum enim dicitur: Sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem, aperte declaratur quia per eamdem sartaginem ferream ab obsidione civitatis propheta se liberum reddat. Unde et quod praedixit subjungitur: Et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem. Ex qua re ostenditur quia propheta in eadem obsidione non erit, si sartaginem ferream inter se et civitatem murum ferreum ponit. Et certe sive in ea captivitate quae prius, sive in ea quae postmodum Israelitico populo contigit, nullus ab ejusdem captivitatis periculo liber fuit, sed omnes simul par calamitas involvit. Quid ergo intelligi juxta litteram potest, ut propheta inter se et civitatem quae obsidenda est sartaginem ferream ponat? Sed quamvis omne hoc quod in descriptione lateris sub signo Jerosolymorum civitatis legitur juxta litteram factum sit, nobis tamen sciendum est quia typicum aliquid per sartaginem figuratur, et obsessio Jerosolymorum vera describitur.

21. Ex quare instruimur, ut dum aliud completum juxta historiam scimus, et aliud juxta historiam a ratione vacare cognoscimus, in sacro verbo utraque teneamus, quatenus et obsessionem Jerosolymorum, quae juxta litteram postmodum facta est, in prophetae verbis et factis credamus esse figuratam, et tamen per eamdem obsidionem obsidio alia, id est interior, designetur. In qua jure quaerimus quid per sartaginem ferream, quae murus ferreus dicitur, valeat designari. Illam itaque obsidionem qua Jerosolymorum civitas destructa est, jam factam novimus; sed nunc aliam intrinsecus, quae quotidie agitur, requiramus. De qua per significationem dicitur: Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem.

22. Sed ante nobis inquirendum est cur Ezechiel propheta vel quoties sublimia conspicit, vel quoties agere aliqua mystica jubetur, prius filius hominis appellatur? Saepe enim sublevatur ad coelestia, et occultis ac invisibilibus rebus ejus mens pascitur. Necesse ergo est ut inter occulta quae penetrat, filius hominis vocetur, ut semper agnoscat quod est, et nunquam extollatur de his ad quae ducitur. Quid est enim prophetae ad spiritalia sublevato semper fili hominis dicere, nisi eum infirmitatis propriae memorem facere? Ut conscius conditionis infirmae, elevari in cogitatione non debeat de magnitudine contemplationis suae.

23. Quia vero idem propheta, ut supra jam diximus, typum praedicantium vel doctorum tenet, recte ei nunc dicitur: Sume tibi laterem, et pones eum coram te. Omnis enim doctor cum terrenum quempiam auditorem ad coelestis verbi doctrinam suscipit, laterem assumit. Cui dum loqui coeperit quae sit retributio coelestis patriae, quae visio pacis supernae, civitatem Jerusalem describit in latere. Quem coram se ponit, quia intenta mente qualitatem audientis considerat, id est provectum vel defectum conspicit, et juxta ejusdem intelligentiam

praedicationis suae verba moderatur, ut describi in audientis mente civitas Jerusalem, id est visio pacis, possit. Dicatur ergo: Sume tibi laterem, videlicet proximi cor terrenum. Et pones eum coram te, scilicet ut vitam atque intellectum illius intenta mente custodias. Et describes in eo civitatem Jerusalem, ut ei quae sint superna gaudia de visione pacis innotescas. Quasi enim jam Jerusalem in latere descripta est, cum terrena mens coeperit quae sint illa internae pacis gaudia vera cognoscere, et ad conspiciendam gloriam patriae coelestis anhelare. Quasi in terra visio pacis describitur, quando mens, quae prius terrena sapuerat, per amorem jam ad contemplandam gloriam regni coelestis elevatur.

24. Sed mox ut animus amare coelestia coeperit, mox ut ad visionem pacis intimae tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius qui de coelo lapsus est invidet, et insidiari amplius incipit, et acriores quam consueverat tentationes admovet, ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentaverat quando possidebat. Unde scriptum est: Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem (Eccli. II, 1). Unde et daemoniacus qui a Domino sanatur, ab exeunte daemone discerpitur, sicut scriptum est: Et clamans et multum discerpens eum, exiit ab eo (Marc. IX, 25). Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quod plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat quando hoc quietus possidebat? Unde et Israelitae quoque ad Moysen et Aaron dicunt: Videat Dominus, et judicet, quoniam fetore fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et praebuistis ei gladium, ut occideret nos (Exod. V, 21). In Moyse enim et Aaron lex et prophetae figuratae sunt. Et saepe apud se infirmus animus quasi contra sacra eloquia murmurat, quia postquam verba

coelestia audire et sequi coeperit, regis Aegyptii adversitas, id est maligni spiritus tentatio, excrescit.

25. Debet ergo vigilanter doctor proficienti animae quae illam tentationes sequantur innotescere, ut cautam se valeat contra maligni spiritus insidias praeparare. Unde bene nunc, post descriptam civitatem Jerusalem in latere, dicitur prophetae: Et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem. In qua enim jam pacis visio describitur, ei necesse est ut tentationum bella nuntientur. Nam ut valeat ad illa pacis gaudia aeterna pertingere, hanc hic procul dubio oportet tribulationum certamina multa sustinere. De qua bene dicitur: Ordinabis adversus eam obsidionem. Praedicator quippe contra erudiendam animam obsidionem ordinat cum praemuniendo indicat quibus se modis vitia virtutibus opponant, quomodo luxuria castitatem feriat, qualiter ira tranquillitatem animi perturbet, quantum inepta laetitia vigorem mentis resolvat, qualiter multiloquium munitionem cordis destruat, quomodo invidia charitatem interficiat, quemadmodum superbia arcem humilitatis effodiat, qualiter fallacia cum veritatem in sermone corruperit, hanc etiam in cognitione corrumpat, ut qui verum dicere noluit quod intellexit jam nec intelligat, quod dicere valeat. Ordinatur ergo a praedicatore obsidio cum per sanctae admonitionis verba singulis quibusque virtutibus quae vel quibus modis vitia insidientur ostenditur. Et contra Jerusalem, quam describit in latere, praedicator munitiones aedificat quando mala quaeque quam munita contra mentem veniant demonstrat, ut sese vitia sub virtutum specie abscondant; quatenus, sicut saepe jam diximus, immoderata ira justitia videri appetat, et disciplinae remissio mansuetudo videri velit, et tenacia sese parcimoniam nominet, et inordinata rerum effusio se benevolentiam appellet. Quasi enim aedificatae contra mentem munitiones sunt, quando vitia sub virtutum specie

excrescunt, et in alto se ostendunt per imaginem, quae in imo jacent semper per actionem.

26. Adhuc quoque additur: Et comportabis aggerem. Quo enim mens desiderare coelestia coeperit, eo in illam maligni spiritus tentationibus suis terrenas amplius cogitationes exaggerant. Propheta ergo aggerem comportat cum praedicator sanctus bonis mentibus qualiter terrena desideria subrepere solent denuntiat. Atque adhuc additur: Et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. Quasi dat contra animam doctor castra, quando malignorum spirituum contra eam collectas atque adunatas insidias indicat, ut aliquando non solummodo ex uno, sed ex conjunctis vitiis simul tentent.

27. Nam sunt quaedam vitia quasi per quamdam sibi cognationem propinqua, sicut dissolutio spiritus, appetitus gulae, et immunditia luxuriae, sicut multiloquium, fallacia, atque perjurium. Ex dissolutione quippe spiritus mens ad ingluviem ventris rapitur, et dum cibis venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur superbiendo captiva. Et rursum ex multiloquio fallacia generatur, quia valde difficile est ut qui multa loquitur non etiam mentiatur; et saepe mendacium etiam perjurio tegitur, ut ante humana judicia veletur. Superbia quoque esse sine invidia atque inani gloria nullatenus potest. Superbus etenim quisque honorem quem ipse ambit aliis invidet. Et cum hunc fortasse obtinuerit, in elationem gloriae temporalis attollitur, atque quod alios conspicit minime percipere potuisse, hoc se per inanem gloriam gaudet prae caeteris habere.

28. Sciendum quoque est quia saepe nonnulla vitia ad mentem non simul veniunt, sed supponuntur, ut unum alteri in tentatione succedat. Et aliud contra faciem venit, aliud vero in tentationem se ex latere subjicit, quatenus dum alteri resistitur, ab altero mens decepta capiatur.

Ipsa enim quae superius diximus vitia plerumque se alia pro aliis furtive supponunt, sicut nonnunquam dum iram vincere in nobismetipsis conamur, plus quam necesse est lenitas mentem occupat, ut asperitatem peccantibus quam oportet minime proponat. Saepe vero dum nobis inesse incauta lenitas displicet, zelus se in furorem trahit, atque extra patientiae limitem animum captivum rapit. Quia ergo permista simul vitia atque adunata contra mentem veniunt, recte in praedicatoris ore contra descriptam Jerusalem castra proponuntur. Et quia aliquando singula hinc inde sensum feriunt, in gyro arietes ordinantur. Ponit ergo praedicator arietes in gyro, dum caute denuntiat quam blande luxuria percutit, quam aspere impatientia occidit, quam laboriose avaritia accendit et interimit, quam tumide superbia exstinguit. In gyro itaque arietes ponere est praedicando ostendere qui undique soleant animam mucrones vitiorum ferire.

29. Sequitur: Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem. Quia ferrum forte metallum est, et in sartagine cibus frigitur, quid per sartaginem ferream, nisi spiritalis zeli fortis frixura signatur? Omnis quippe spiritalis zelus doctoris animam frigit, quia valde cruciatur dum infirmos quosque aeterna deserere et rebus temporalibus delectari conspicit. Quam bene Paulus sartaginem ferream sumpserat, cum zelo animarum cruciatus dicebat: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror (II Cor. XI, 20)? Ipsum suum cor quod animarum zelo succenderat, quid aliud quam sartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat? Quod enim urebatur, sartago erat. Inardescebat enim et coquebat, quia incendebatur amaritudine, sed virtutum alimenta praeparabat ex sua afflicta cogitatione.

30. Sed quid est quod eamdem sartaginem propheta inter se et civitatem murum ferreum ponit, nisi quod idem fortis zelus qui nunc in mente doctoris agitur in die

extremi judicii inter eum et animam quam a vitiis zelat testis est? ut etsi audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo quem exhibet de auditoris negligentia reus non sit. Murum ergo ferreum inter se et civitatem ponit, quia ultionis tempore inde doctor a damnationis periculo munitur, unde nunc per zelum custodiae cordis frixuram patitur. Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Hinc enim Psalmista ait: Zelus domus tuae comedit me (Psal. LXVIII, 10). Quantum vero frixura cordis quae spiritali zelo agitur omnipotentem Dominum Deum placat, aperte ostenditur cum offerri per legem simila in sacrificium jubetur. De qua scriptum est: In sartagine oleo conspersa frigetur, offeretque eam calidam in odorem suavissimum Domino sacerdos qui patri jure successerit, et tota cremabitur in altari (Levit. VI, 21, 22). Tunc enim simila in sartagine frigitur, cum munda mens justi per zeli sancti ardorem crematur. Quae conspergi oleo praecipitur, id est claritatis misericordiae misceri, quae in conspectu omnipotentis Domini ardet et lucet. Conspergatur ergo oleo mens quae in sartagine frigitur, quia sancti zeli districtio necesse est ut ex misericordiae virtute et ardeat et clarescat. Amat enim eumdem ipsum quem insequi videtur. Unde et calida in odorem suavissimum Domino offerri praecipitur, quia si amorem zelus non habet, ea quae de sartagine offertur calorem simila amisit. Et notandum quis eam offerre praecipitur, videlicet sacerdos qui patri jure successerit. Ille enim sacerdos patri jure succedit, qui esse se omnipotentis Domini filium demonstrat moribus, atque a nobilitate intima operum suorum ignobilitate non discrepat. Quae in altari tota cremari praecipitur, ut videlicet holocaustum fiat. Holocaustum enim totum incensum dicimus. Unde et in translatione altera hoc in loco haec eadem simila quae in sartagine frigitur holocaustum fieri jubetur. Hoc autem inter holocaustum et sacrificium distat, quia omne quidem holocaustum sacrificium est, non autem omne sacrificium holocaustum. Sunt enim multa bona quae aguntur

sacrificia, sed holocausta non sunt, quia totam mentem in amorem spiritalem minime incendunt. Qui enim sic operantur ea quae Dei sunt, ut tamen et quaedam quae sunt saeculi non relinquant, nimirum sacrificium et non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quae mundi sunt deserunt, et totam mentem igne divini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium et holocaustum fiunt. Simila itaque in sartagine est munda mens justi in zeli spiritalis afflictione; quae per sollicitudinem animarum frigitur, et non solum sacrificium, sed etiam holocaustum Domino esse deputatur. Sumamus ergo sartaginem ferream, et ponamus eam murum ferreum inter nos et civitatem, id est assumamus zelum fortem, ut inter nos et auditoris nostri animam inveniamus hanc postmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inventuri sumus, si nunc eum fortiter tenemus, videlicet docendo, custodiendo, suadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquando vero etiam severius agendo. De qua severitate recte subditur: Et ob firmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem.

31. Quid est obfirmare faciem ad Jerusalem in latere descriptam, nisi ut ei animae cui coelestis pacis visionem doctor denuntiat, si adhuc eam infirmari in suis actibus conspicit, remissiorem et clementiorem se minime ostendat? Unde scriptum est: Filiae tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas (Eccli. VII, 26). Infirmae quippe animae atque ad appetitum mundi deditae, aliquando melius ex severitate servantur, ut obfirmata facies, id est per severitatis custodiam ab omni spe frivolae remissionis abducta, inconstantem animam terreat, atque a delectatione vitiorum districtionis vigore constringat. Quod cum a doctore agitur, semper necesse est ut dulcedo et humilitas in corde teneatur, quatenus et multum amet, et nunquam contra eum per elationem superbiat, cui tamen

amorem suum et humilitatem pro utilitate ejus prodere recusat.

32. Sequitur: Et circumdabis eam. Circumdat doctor auditoris animam, cum in omne quod in hac vita agitur tentationum laqueos apponi posse denuntiat, ut dum ubique fit mens pavida, ubique circumspecta, quanto timidior, tanto vigilantior vivat.

33. Sequitur: Signum est domus Israel. Si ad historiam obsidionis quae juxta litteram facta est, signum est domus Israel quod propheta fecit; si ad mysterium quod quotidie erga uniuscujusque animam a doctore agitur, signum est domus Israel et hoc quod egit, et hoc quod agendo nuntiavit, quia sicut domus Israel obsidionem corporaliter pertulit, ita unaquaeque anima quae jam servire omnipotenti Deo incipit obsidentes se insidias malignorum spirituum sentit. A quibus si vere eripi appetit, scire debet quia eripi sua virtute non possit; sed ejus necesse est ut adjutorium speret qui nos, et in carne corruptibili viventes, per redemptionis suae mysterium potest etiam super spiritus qui sunt sine carne roborare, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

# LIBER SECUNDUS

## Praefatio.

Quoniam, multis curis prementibus, Ezechielis prophetae librum coram charitate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit, bonis vestris desideriis placuit petere ut saltem extrema ejus visio, quae ei facta est de aedificio in monte constituto, quae et cunctis est visionibus ejus obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestrae me parere necesse est, sed duo sunt

quae hac in re perturbant animum meum. Unum, quod haec eadem visio tantae obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud, quod jam Agilulphum Langobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinantem Padum transisse cognovimus. Unde pensate, fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata. Quanto enim circa terrena plus angitur, tanto in his quae sunt coelestia minus videt; et pro eo quod curis suis extra se ducitur, valde intus minor est, quia, sicut scriptum est: Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. IX, 15). Quae enim superiora penetrare etiam collecta non sufficit, pensate quid agere poterit divisa? Scimus autem, scimus omnes, quia et fluvius qui in multis rivis dividitur, a suo alveo exsiccatur. Sed tamen inter haec adest superna gratia. Et si mentem meam cogitationum mearum pondera deprimunt, vestrorum hanc pennae desideriorum levant. Obscurum quidem valde est opus quod aggredimur, sed ponamus in animo quia nocturnum iter agimus. Restat ergo ut hoc palpando carpamus.

>>sequitur Lber Secundus>>